



# **Io. Pomerani in D. Pauli ad Romanos Epistolam, : Interpretatio doctissima, multisq[ue] in locis locupletata.**

<https://hdl.handle.net/1874/454060>



**Dit boek hoort bij de Collectie Van Buchell  
Huybert van Buchell (1513-1599)**

**Meer informatie over de collectie is beschikbaar op:**

<http://repertorium.library.uu.nl/node/2732>

**Wegens onderzoek aan deze collectie is bij deze boeken ook de volledige buitenkant gescand. De hierna volgende scans zijn in volgorde waarop ze getoond worden:**

- de rug van het boek
  - de kopsnede
  - de frontsnede
  - de staartsnede
  - het achterplat

**This book is part of the Van Buchell Collection  
Huybert van Buchell (1513-1599)**

**More information on this collection is available at:**

<http://repertorium.library.uu.nl/node/2732>

**Due to research concerning this collection the outside of these books has been scanned in full. The following scans are, in order of appearance:**


- the spine
- the head edge
- the fore edge
- the bottom edge
- the back board

**RARIORA**


Kast 108

Pl. O. No. 14





67  
13





176

Biblia et interpretes.

~~Octavo n<sup>o</sup>. 176.~~


Kass 100

Al. Om. 14

αριθμὸς συντάξεως







IO PO

MERANI IN D. PAV  
li ad Romanos & pislolam,  
Interpretatio doctissi-  
ma, multisq; in locis  
locupletata.

Haganoæ, per Iohan. Secer.  
Anno M: D. XXXI.  
Mense Iulio,

ex dono Buchelij



A  
IO PO

AN IN D. PAV

and Roman

the

the

the

the

the

the

the

the

the

the

the

the

the

the

the

the

the

the

the

the

# ANIMAD

A. 1. VERTENDVM HOC IN

A. 2. dice, per Apriorem faciem, B.

A. 3. alteram significari.

A. 4. A.

Abba pater 87. B

Abbreuiatum Verbum 112. A

Abraha filij 43. A. 107. A

Ade peccatum nostrum 52. B

Anima quid 90. A

Antichristi regnum 152. B

Arragantia 144. B

Argumenta rationis contra predestinationis sen-

tentiam 109. A

A. 27 B

Baptismi signum 51. B

Baptismi paruulorum confirmatio 38. B

Beneficijs uincendi mali 145. A

Benedicere in scriptura quid 116. A

Blasphemie spiritus 123. B

Blandiloquentia pseudapostolorum 109. A

Bona intentio 45. A. 117. A

Bona opera non prohibentur 27. B

Bona opera que 133. B

Bulle pro futuris peccatis 136. A

2



# I N D E X

Caro quid	81. A
Carnis sapientia	81. A
Carnaliter uiuere	85. A
Caro quomodo mortificanda	137. B
Causse salutis & damnationis	33. A
Causa cur non credatur Verbo	119. B
Charitas	84. B
Charitatis sollicitudo pro aliorum salute	103. B
Charitas Pauli erga Iudeos	127. B
Cecitas, poena contemptus Verbi	114. A
Circumcisio externa nihil prodest	22. B
Cogitationes hominum uane	13. A
Confirmatio baptismi paruulorum	40. B
Concupiscentia	72. A
Concupiscentie peccatum	85. B
Consolatio spiritus	91. B
Corpus quid	90. A
Consilia Dei non mutantur	129. B
Conscientia certa omnia facienda sunt	152. A. 159. B
Christi humanitas	5. A
Christus mediator solus	6. A. 34. B
Christiana libertate abutentes	62. B
Christiane libertatis usus	60. A
Christiana libertas	67. B
	Christi

Christi mors, uita	48. B
Christi satisfactio nostra	38. A
Christi mortis usus	59. A
Christi mors à lege nos liberat	60. B
Christus factus peccatum	80. B
Christus Deus	107. A
Christus lapis offensionis	117. B
Christianorum uictima	136. B
Christi sacrificium	137. A
Cruce dei robur	49. B 92. A
Cruce Christianorum est tessera	103. A 159. A
Cultus Dei uerus	113. A
<b>D</b>	
Damnationis causse	93. B
Deus pater	7. B
Deus consilia non mutat	129. B
Deus glorificandus	160. A
Dilectio Dei uera	104. A
Diuina iustitia	150. A
Disceptationes uitandæ	171. B
Donis Dei quomodo uendum	139. B
Docentes contra conscientiam	161. B
Docentibus uictus debetur	164. B
Duplex lex	118. B



I N D E X

E

<i>Ecclesiastica potestas</i>	146. B
<i>Electis tantum contingit gratia</i>	111. A
<i>Electi nonnunquam peccant</i>	80. B. 126. B
<i>Episcoporum officium</i>	142. A
<i>Euangelium uerum</i>	4. B
<i>Euangelion instrumentum salutis</i>	10. A
<i>Euangelion in ore saltem habentes</i>	20. B
<i>Euangelij iustitia</i>	116. A
<i>Euangelij calumniatores, dicentes Euangelio neminem meliorem reddi</i>	122. B
<i>Euangelio cur leges admisceantur</i>	136. B
<i>Eucharistiae Sacramentum cur accipiat</i>	40. A
<i>Externa circumcisio nihil prodest</i>	21. B
<i>Exemplum Pharaonis horrendum</i>	109. B

F

<i>Fides uera</i>	6. B. 45. A
<i>Fides sola iustificat</i>	37. A
<i>Fide lex impletur</i>	38. B
<i>Fidei iustitia</i>	46. B
<i>Fidei fructus</i>	47. A
<i>Fides ore confitenda</i>	117. B
<i>Ficta sanctitas</i>	22. A
<i>Fidij Abrahæ</i>	43. B. 107. A
<i>Filius differt à seruo</i>	86. A

*Filiorum*

I N D E X

Filiorum Dei hereditas	87. B
Filij sumus electione, non meritis	108. A
Forma inchoandi Christianismi	133. A
Formule mortificande carnis	139. A
Fundamentum rosarij Mariæ	167. A

G

Gentes in scriptura	14. B 44. A
Gladij potestas	146. B
Glorificatio iustorum	92. B
Gloria nostra nondum reuelata est	51. A 94. B
Glorificandus Deus	160. A
Gratia quid	7. A
Gratiæ uis	53. A
Gratia ex meritis nulla	7. A
Gratiæ contemptus	83. A
Gratiæ commendatio	50. A 97. B
Gratia Dei omnium est	132. B

H

Hereditas filiorum Dei	87. B
Hypocrisis	16. A 21. A 138. A
Hypocritarum timor	31. A
Humanitas Christi	5. A
Humanæ uires nihil sunt	51. B 130. B
Humana iustitia	117. A

# I N D E X

	<b>I</b>	
Ignorantes Dei qui		16. B
Implere legem	19. B	Impiorum uia 41. A
Impij cur creentur		110. A
Immundum quid		154. B
In Schuuermerios		72. A
Interpretatio scripturæ fidei conueniat		141. A
Infirmorum ratio habenda	155. A	160. A
Iustitia uera in dies augetur		10. B
Iustus ex fide uiuit	11. A	31. B
Iudæi in scriptura qui		14. B
Iudæus confitens dicitur		25. B
Iudæi sinistre interpretantur scripturas		31. A
Iudæi cur abiecli		125. B
Iudæi non spernendi		127. A
Iustitia sola est per Christum		33. A
Iustitia fidei		45. B
Iustorum glorificatio		92. B
Iustitia humana & diuina		115. A
Iustitia legis & Euanglij		116. A
Iustitiarij		116. B
	<b>L</b>	
Lapis offensionis Christus		117. B
Laborantibus, non ociosis dandum		143. B
Legis uis	11. A 42. A 55. A	76. B
		Lex du

I N D E X

Lex duplex	18. B
Legem implere	19. B
Lex fide impletur	35. B
Lex cur data	55. B
Lex quatenus abrogata	70. B 63. A
Lex operibus non impletur	68. A
Lex adfectus requirit	71. B
Lex occasio peccati	78. B
Legis terror	79. A
Legis iusticia	110. A
Leges cur Euangelio admisceantur	136. A
contra Liberum Arbitrium	3. B. 9. A. 44. B
40. B. 63. B. 79. A. 84. B. 103. A. 111. A.	
Libertas Christiana	147. A
Libertatis christiane usus	80. A. 87. A
Libertate christiana abutentes	62. B
Litæra & spiritus quid	68. A
M	
Magistratui obediendum	145. B
Mali beneficijs uincendi	eadem B
Mediator solus Christus	6. A. 34. A
Meritorum gratia nulla	7. A
Merita nostra nulla	91. A. 108. B
Media opera que	150. B
Media ad tempus ferenda	151. A

I N D E X

Missarum maledictio	106.A
Missarij	109.A
Modus prædicandi	11.B.28.B
Mors Christi uita	48.B
Mortis Christi usus	59.A
Mori peccato	60.A
Mors Domini à lege nos liberat	66.B
Mortificandæ carnis formulæ	139.A
Monachatus nostrorum nouus	89.B
Mundus	138.A
Mundum & immunda quid	154.B
N	
Natura peccatum suum nescit	26.A
Natura damnati sola misericordia seruamur	109.A
Nemo iudicandus	155.A
Nomen Dei polluere	22.B
Nomen Dei inuocandum	120.B
Nouus nostrorum Monachatus	159.B
Noui spiritus	153.B
O	
Obediendum magistratui	145.B
Obediendum etiam Tyrannis	146.B
Obediendum cur	148.A
Ociosis nihil dandum	143.B
Offensionis lapis Christus	112.B
Officia	



I N D E X

Officia principum & Episcoporum	142. A
Omnes sumus peccatores	20. A. 26. B
Opera bona non prohibentur	27. B
Opera bona que	233. B
Opera non iustificant	32. A
Operum merita nulla	50. B
Opera legem non implent	68. A
Opera tenebrarum	150. A
Opera media que	eadem B
Opera media ad tempus ferenda	151. A
Oratio uera	96. B
Orandum quomodo	8. B
Oratio non langueat	143. B
Origo satisfactionum humanarum	34. A
Originalis noxa	51. B
Ore confitenda fides	117. B
P	
Pax quid	17. A
Pater. Deus	7. B
Pax cordis unde	54. B
Papiste nō inuocāt sed blasphemāt nomē dei	118. A
Parabola seminantis	95. B
Parabola de filio prodigo	125. B
Pauli charitas erga Iudæos	127. B
Paulina salutatio	166. A



# I N D E X

Paulus missus ad omnes nationes	9. B
Pœna contemptus Verbi cœcitas	114. B
Pedes adfectus sunt	30. A
Peccatum Adæ nostrum	33. A
Peccato mori	51. A
Peccatum concupiscentiæ	73. B
Peccatum causa mortis	75. A
Peccatum est quod absq; fide fit	117. A
Pharaonis exemplum horrendum	109. B
Piorum et pacis vita	41. A
Pontificatus Christi	8. A
Polluere nomen Dei	22. B
Potestas gladij	146. B
Potestas ecclesiastica	145. B
Prædestinatio offendit carnem	27. B
Prædestinationis utilitas	107. A. 98. A. 136. A
Prædestinatio est ab æterno	99. B
Prædicatores ueri	8. B
Prædicandi modus	21. B. 28. B
Prædicatoribus uocatio expectanda	119. A
Preculæ confectæ	109. B
Principum officium	142. A
Prophete nouitij	119. A
Propheta	140. B
Proximo seruiendum ad bona tantum	157. B
	Pscus

# I N D E X

- Pseudodoctores** 182. B  
**Pseudapostoli quomodo deprehendi queant** 168. B  
**Pseudapostolorum blandiloquentia** eadem B  
**Pugna spiritus cum carne** 76. A. 77. B. 98. B  
R  
**Rationis argumenta contra predestinationis sententiam.** 109. A  
**Ratio habenda infirmorum** 156. A. 160. A  
**in Resurrectione palàm fiet nos adoptatos in filios Dei** 94. A  
**Regnum Antichristi** 112. B  
**Rosarij Mariæ fundamentum** 167. A  
S  
**Sacrilegium** 31. B  
**Sacramentum Eucharistiæ cur accipiatur** 40. A  
**Sancti qui** 7. A  
**Sanctus ficta** 22. A  
**Salutis et damnationis cause** 53. A  
**Salus nostra certa** 45. A  
**Satisfactionum humanarum origo** 34. A  
**Satisfactio Christi nostra** 58. A  
**Sancti nonnunquam errant** 79. B. 129. A  
**Sapientia carnis** 82. A  
**Sacrificium Christi** 117. A  
**Sapientes ad bonum** 270. A

I N D E X

Salutatio Paulina	166. A
Scala Iacob	154. A
Scandalum	152. A
Scriptura interpretatio fidei conueniat	141. A
Scriptura nobis opus est	138. B
Seruis	4. A. 89. A
Seminantis parabola	95. B
Serutendum proximo ad bonatantum	157. B
Signorum usus	39. B
Signum baptismi	61. B
Sollicitudo charitatis pro aliorum salute	105. B
Spes	95. A
Spe in tentatione seruamur	92. A
Spiritus quid	89. B
Spiritus duplex	89. A
Spiritus pugna cum carne	69. B. 96. A. 98. B
Spiritus Dei agens in nobis	96. A
Spiritus blasphemie	123. B
Spiritum sanctum dare	119. A
Spiritus nouitij	103. B
A	
T	
Terror legis	99. A
Tenebrarum opera	150. A
Tumor hypocriticus	131. A
Turcia cur non saluentur	134. B

# I N D E X

## V

Vera fides	6.B
Veritas quid	12.A
Verus cultus Dei	93.A
Verbum frustra non emittitur	24.A
Verbi contemptus poena, est caecitas	124.A
Vita nostra flagitiosa	23.B
Via piorum & impiorum	41.A
Vires humanae nihil sunt	81.B. 130.B
Viuerе carnaliter	85.A
Victima Christianorum	136.B
Vindicta Deo tribuenda	145.A
Victus debetur docentibus	164.B
Vocatio ad Verbum	4.A
Vocatio duplex	6.B. 100.A
Vocatio expectanda praedicatoribus	119.A
Vocati tantum pacem praedicant	119.B
Vsus signorum	39.B
Vtilitas praedestinationis	98.A. 136.A
Vsus libertatis Christianae.	80.A. 87.A

## F I N I S





# IOHAN

NES BVGEN

HAGIVS PO-  
meranus, Lectori.



V L T I L I B R I

nunc, Optime Lector, excu-  
dūtur in utris auctoribus, licet  
uiuentibus, per quod quā  
male consulatur posteritati,  
quis ignorat, nisi sit ualde stu-  
pidus? Inter quos libros, in

primis planè habeo meum Hiob, qui iam his nudinis  
Francofordians, Anno domini M. D. XXVI. uenit  
in manus meas, haud gratus hospes. Vidi enim non esse  
eum, quem in ecclesia nostra uulgo interpretatus fue-  
ram ante annum, sed quem seclusa auditorum turba,  
ante quatuor annos, cum quibusdam Monachis con-  
tuleram. Iudico planè ex eo plus emolumenti proueni-  
re uenditori, quàm lectori: quando etiam non huic, sed  
illi consulitur per talia, quæ uolentibus nobis inuul-  
gantur. Nemo huic pesti cupit subuentum, ne illæ Typographi  
quidem ciuitates, quæ Euangelio Christi Domini no- sine legibus  
stri fauere dicuntur: Soli Typographi sine legibus uiuunt.  
gunt. Verum, quæ nunc uides in Epistolam Pauli ad



COMMENT. POMER.

Romanos, nō grauatim ( ne nos illæ Harpyiæ anteuerterent ) permisimus Secerio nostro, uiro ut erudito, ita & fideli, quā primū inuulganda: quæ tamen à me non sunt scripta, sed à Doctore Ambrosio Maiobano, iam apud Vratislauenſes, ſacri Euangelij miniſtro, me publice in ſchola non dictante, ſed dicente excepta: quo fit, ut admirandum ſit potius, quòd hæc omnia ſic excipi potuerint, quā accusandum, ſi quid alicubi deſyderaueris. Nam ut nobis non uacat, ita neq; neceſſarium ducimus, ex ſingulis noſtris prælectionibus, ſingulos libros mundo obtrudere. Ego tamen iſta omnia peruidi, in quibus ſic exceptis, ſi quid eſt, quod probaueris, Doctore Ambrosio Maiobano, ſecundum Deum refer acceptum. Vale.

STATVS EPI  
STOLAE.

Sūma tē. ius  
Epistolæ.

**I**N primis id obſeruandum in hac Epistoła, Paulum hoc agere, ut omnes homines peccatores, planeq; filios træ, & damnationis æternæ eſſe oſtendat. Vbi hoc egit, declarat unde iuſtificemur, nempe ex ſola fide per Chriſtum. Et hic eſt ſtatus huius Epistolæ, hæc omnia referuntur, quæcunq; in tota Epistoła tractantur. Pudeat igitur eos, qui alibi quærent iuſtitiam ueram, faciunt autem id omnes homines. Iudeos nemo ignorat in ſuis Ceremonijs quæreſe iuſtitiam, per quod ipſimet inter ſe iniuſtos eſſe ſatentur.

Gentes

Gentes item, impio idolorum cultu idem quærunt, accusantes, & ipsi suam iniustitiam. Sed dum illam per opera quærunt, quid aliud faciunt miseri, quàm quòd stercus stercore abluere conantur? Nequaquam enim potest arbor mala, fructus bonos ferre. Deinde, nec Israël sectãdo iustitiã legis, puenit ad iustitiã. Roma. 9.

S V M M A T O T I V S E P I -  
stole per singula capita.

CERTUM est in nullo libro sacræ scripturæ clarius & apertius describi legem & gratiam, quàm in hac Epistola, sed quo ordine id faciat Apostolus, dicemus, ut uideamus curam & diligentiam hanc unicam fuisse Paulo, ut compendium tale totius scripturæ formaret. In quo simul omnia capita scripturæ, quibus nobis ad cognitionem nostri peccati, & misericordiæ diuinæ opus est, ordine ac perspicue complecteretur. Qui id ignorant, difficilimam & obscurissimã (quod multis, qui docti haberi uolüt, accidisse scio) hanc Epistolam esse somniant. Sed capita uideamus.

In primo capite omnes Gentes licet naturæ legē habeant, esse peccatores, probat.

In secundo, idem de Iudæis confirmat, ut maxime legem scriptam habeant & iactent, & quemadmodum ea, uirtute legis naturæ in cōscientijs eorum à peccati morsu liberari non possunt, sic nec Iudæi lege scripta tam sancta, & à Deo per Moysen data, in suis cōscientijs liberantur.

- III In tertio, infert eam propositionē, quæ est status, & cardo Epistolæ, dicens: Ergo omnes homines sunt peccatores. Atq; hæcenus de morbo dixit, mox subiicit remedium, dicens: Vnam & solam esse iustitiam, quæ est per fidem in Christum. Proinde, ne quis hanc iustitiam esse nouū quiddam, aut confictum à quoq̄, dicit, ipsam testimonium habere ex lege & Prophetis.
- III In quarto, confirmat multis argumentis ex scripturis petitis, hanc iustitiam per Christum.
- V In quinto, qui sui fructus, & quæ utilitas huius iustitiæ, ostendit, nempe pax & gaudium conscientiarum, antea peccato miserrime afflictarum: quæ quidē nemo adsequitur, nisi per hanc iustitiam. Deinde confert gratiæ & peccati uim, dicens, plus posse gratiā per Christum, quàm peccatum per Adam.
- VI In sexto, ponit occupationem contra eos, qui ubi audiunt ex peccato abundare gratiam, statim inferunt fortiter, ergo peccabimus: & ut maxime id ore non dicant, tamen in corde ita sentiunt. Pij uero gaudent se libertatem conscientie adsecutos, nec aliud urgent, ut impij, qui tamen primi uolunt esse inter Christianos. Paulus respondet. Non est porro peccandum, quando aboletur peccatum: conscientiarum pax est ibi, quod ad Deum, & non ad peccatum attinet, Spiritus enim semper aduersus carnem pugnat.
- VII In Septimo docet, libere quiduis faciendum fore, si uetus Adam totus mortuus esset: atq; id dicit contra eos

IN EPIST. AD ROM.

eos, qui libertatem carnis somniant, & putant tum licere ut peccent impune, quando gratia prædicatur. Verum, ex ista responsione offendentur piæ mentes, ut tandem dicant, O Paule, quam nobis libertatem prædicas, cum peccatum adhuc semper adsit: hos in sequenti capite solatur.

In octavo consolatur pios, adhuc iniurijs carnis & mundi adstrictos, dicens, ut maxime adhuc adsit peccatum, tamen non potest damnare. Sciuunt etiam quantumuis propter spiritum Christi in uobis: estis filij Dei, à qua spe, nulla creatura potest nos separare. Atque hæc hactenus. Quid potuit commodius & dilucidius de iustificatione dici, quàm quod primo morbum, secundo remedium indicarit? Tertio uero, nequaquam esse diffidendum, sed firmiter in Christo hærendum, docuerit.

SVMMA TRIVM SEQVENTIVM. IX. X. XI.

Qui prædicta recte intelligunt, obuijs ulnis, ut dicitur, amplectuntur ea quæ de prædestinatione dicuntur in sequentibus capit. Præscire igitur oportet ista quæ in prioribus cap. docuit Paulus. Nam cum ipse gratiam commendare uoluit, non potuit omittere locum prædestinationis: hic is maxime ad gratiam pertinet: magnum quiddam est, quod certius sim salutem meam non in mea manu, sed Dei esse.



Contra Lib.  
Arbitrium.

Hic nihil sunt uires tuæ, nihil Liberum Arbitrium. Nā  
quas uires habuisti, quando non eras? Peccati nos ille cha-  
ros ante mundum, in dilecto filio suo, Ephes. 1. Vbi ū  
fuerūt bona opera? Atq; isto ordine docuit nos Paulus,  
in scripturis sanctis uersari. Nō uoluit, ut à prædestina-  
tione inciperemus, ut quidam stulti & carnalissimi sa-  
pientes faciunt, quos hic locus tantum perturbat, &  
dementat. Rursus pijs est consolatio, sciunt certò se  
non posse perire. Nam impij illi quàm primum cogitāt  
prædestinationē, eò cecitatis prouūt, ut dicant: Ergo  
quiduis faciamus, peccemus, quia conclusum est, nihil  
retulerit sic uel sic nos uixisse. Hi ostendunt se non esse  
Christianos, & digni sunt audire horrendam respon-  
sionem Pauli: Quorum damnatio iusta est.

◦ SVMMA RELIQVORVM capitum.

XII  
XIII  
XIII  
XV

**P**ostremo in sequentibus Cap. docet, quæ sint bo-  
nā opera, atq; hunc ordinem uides in omnibus  
scriptis Apostolicis obseruatum. Non est igitur incipi-  
endum à bonis operibus. Verum primum opus est, ut  
iustus sis per fidem, sicq; facies bona opera. Docet igi-  
tur, ut nos primum offeramus Deo secundum Verbum  
suum: seruiamus donis spiritus, alijs: ne blasphemetur  
propter nos Dei Verbum. In summa, uult, ut te ipsum  
agnoscas, & per Christum ueram iustitiam consequaris,  
utq; iustificatus, & coram Deo & coram hominibus  
pie uiuas. Id quod diligentissime docet hæc Episto-  
la: præter hoc, quid aliud cupies?

## CAP. I.

Paulus.

**H**Oc nomen Paulo post conuersionem familiare erat, siquidem Gentibus familiarius quiddam est Paulus, quàm Saulus.

Seruus.

De ministerio suo loquitur, ipsi enim commissum *Seruus quomodo accipiendum.* erat munus Apostolicum. Neq; uero hic tantum seruum intelliges, eum qui colit Christum, qualis est omnis Christianus, sed eum qui legatione fungitur, ad prædicandum Verbum, quiq; ad id uocatus est à Deo, ut tantum sit legatus Verbi. Per hoc damnās eos, qui sua sponte se ingerunt, & currunt non missi, sua quærentes. Exponit uero hoc cum dicit.

Segregatus.

Non profecto uulgaris hæc est uocatio. q. d. Non passim omnibus est commissum, sed quibusdam saltem ut prædicent Euangelium. Ego (ut in Act. habetur) inquit, seorsum in hoc à Deo electus sum, hæc est *Vocatio uera* mea seruitus, hæc mea functio, & meus Apostolatus, ut prædicem Verbum. Atq; hic est titulus Pauli, quo necessario utitur, per hunc enim certos nos facit de suis scriptis, & prædicatione Verbi. Nam nisi conscientie certæ sint de Verbo, quòd ipsum sit Verbum Dei, erit inefficax, non figet radices. Itaq; nota



iactabundo hæc scribit spiritu de se Paulus, sed necessario. Proinde non loquitur hic de prædestinatione (ut in Galatis) ut quidam somniarunt.

(Quod ante promiserat)

Euangelium  
nerum quod.

Hæc parenthesi includenda sunt. Hic uides quod sit Euangelium, in quod sit segregatus Apostolus, ne habeant quod calumnientur Papistæ, qui dicunt, se quoq; prædicare Euangelium, putantes simplicem historiam de Christo, per quatuor Euangelistas descriptam, tantum esse Euangelium: respicientesq; in solam literam, non in solidam gratiæ Dei promissionem per Christum. Itaq; non loquitur de omni Euangelio, id est, læto nuncio, sed tantum de Euangelio Christi. Quid enim peccatori lætius dici possit, quod audiat? quàm Christus filius Dei tibi natus est, pro te passus, te ab omni tyrannide Sathanae redemit. Atq; illud uere est Euangelium, non historia simplex de Christo: fruitio igitur est Euangelium: est promissio Dei de filio suo &c. Interim quoq; hic aduerte, semper Deum antea promississe, quæ magnifice & potenter operaturus erat in mundo: ut per hoc conscientia infirmiores non diffidant Verbo, sed magis illi credant, qui solus est ueritas.

Per Prophetas.

Indicat per quem promissus sit nobis Christus. Per Prophetas inquit. Sed quorsum attinet, quod adiecit, In scrip-

In scripturis sanctis? Respondeo, utrunq; necessarium fuisse. Nam cogitare potuissent infirmæ conscientiæ, Paulus dicit, per Prophetas Christum promissum: sed quis scit, an uerum sit, an id dixerint Prophetæ? Potuit fortasse hæc Paulus, ut cæteri Apostoli fingere: quis nos certos faciet? quis nouit? Solet enim semper Verbum contemni & fastidiri, quoties ad ministerium respicias. Sūt enim homines infirmi, caro & sanguis, qui prædicant Euangelium, ut nos sumus. Ita & Christum uidemus contemptum: hinc etiam dictum esse, Petram scandali. Attamen istud uile Verbum, quod uiles personæ coram mundo prædicant, est potentia Dei, operans miracula in cordibus. Ideoq; adiectum est, In scripturis ne dicas Paulum hæc effuxisse ex suo capite.

ludiciū mandati de Verbo.

### De filio suo.

His omnibus commendat suum officium: & ne quis contemnat suum Euangelium, dicit: Hoc est quod prædico Euangelium de filio Dei, cui qui credit, saluus est. Præterea hic filius est Dei natura, non adoptione, ut nos, per quem solum nos adoptamur & constituimur eum eo in communem hereditatem.

### Qui genitus

Hic uides humanitatem in Christo filio Dei: per hunc hominem solum oportuit satisfieri pro peccatis nostris secundum scripturam, ne aliam imaginaremur satisfactionem.

Humanitas filij Dei.

Ex semine.

Hoc est illud semen benedictum, primum Abrahamæ promissum: secundo clarius, ex Iuda quoque uenturum: Promissum postremo certissime ex Dauid.

Secundum carnem.

Iudicium hu-  
manæ ratio-  
nis de Chri-  
sto.

Nemo sensit Christum aliam, præter humanam, habuisse naturam. Non putabatur in hoc mortali corpore esse filius Dei: nihil aliud, quam uilitas, infirmitas, & abiectio quædam esse uidebatur. Erat quidem Deus, sed latebat. In nobis non erat Deus, sed in se tantum. Ideo addit.

Qui declaratus.

Id est, potenter & efficaciter in cordibus nostris percipit ipsum esse filium Dei. Nisi enim potentia Dei corda nostra uicisset, & regenerasset, nunquam credere potuissimus, hunc uilem hominem esse filium Dei. Iam igitur omnes, in quorum cordibus spiritus Dei operatur, fateri coguntur, uelint nolint, Christum esse filium Dei: Deum iustum, Christum esse iustitiam: Deum misericordem, Christum misericordiam. In summa, Christum esse quicquid Deus est.

Secundum spiritum.

Id est, per quem sanctificantur omnia. Est enim Hebraice dictum, Spiritus sanctificationis, id est, qui solus sanctificat, quale & illud est. Filius peccati.  
id est,

id est, qui author est omnis peccati, qualis hactenus fuit Papa. Missus est itaque ille spiritus sanctificans in corda credentium, post Christi ascensionem. Anima enim eum adhuc esset in carne mortali, non id credere potuit. Et ut dicit Esaias. Non reputauimus eum. Necessario igitur moriebatur, ut ueniret aliquando ille spiritus, qui declararet cum potentia in cordibus hominum ipsum esse filium Dei.

### Resurrexit e mortuis.

Sic declaratus & ostensus est manifeste coram omnibus, in confusionem impiorum, quod esset non homo tantum, sed & Deus. Hominem nemo ignorabat, quia ex semine Dauidis erat genitus, sed Deum nemo esse sensit, donec uirtute Dei resuscitatus est. Quis enim hominum mediator? Hec ideo dicuntur, ut confidamus firmiter per eum nos saluandos, qui Deus & homo est, & mediator inter Deum & hominem.

### Per quem accepimus.

Idcirco dicitur ad id quod de sua uocatione dicere coeperat

### Gratiam.

Non possunt homines munus Apostolicum accipere, nisi prius gratiam accipiant, nisi Deus illis faueat, & mittat suum spiritum, per quem predicent efficaciter Verbum. Deinde addit: Ad hoc accepti munus Apostolicum, uel legationem Euangelij.



# COMMENT POMER

## Vt obediatur.

Id est, ut omnes Gentes subdantur fidei, & credant Evangelio. Nullus hominum maneat in suis iustitijs & uiribus: decedant à fiducia sui, sintq; in nouo regno fidei: neminem uult excipi.

## Super ipsius nomine.

*Fides uera.*

Hoc addit, ut sciamus, de qua fide dicat, finxerunt enim gentes & Iudæi hypocrite, sibi fidem quandam, fidebant suis ceremonijs & iustitijs carnis. Verum illa coram Deo non ualet. Fides ergo uera est in unigenitum Dei filium, ut est in Iohan. Nemo itaq; sperare potest salutem, ex ullius creaturæ uirtute, aut ullis suis meritis. Non est aliud nomen sub cælo, in quo saluamur, ut ait Petrus in Actis.

## Quorum de numero.

Id est, eorum, qui sanctificandi sunt per fidem.

## Vocati.

*Vocari in scriptura bifariam accipitur.*

Quasi dicat, Vocaticij. Vocari, in scriptura bifariam accipitur. Nam aliud est uocari ad munus Apostolicum, ut supra dixit Paulus de seipso, Vocatus ad munus Apostolicum. Aliud item uocari ad Christum per Euāgelij prædicationem. Ad Christum uocati sunt omnes Christiani, quia omnes illius nomen confiteri debent. Verum non omnes uocati sunt ad prædicandum Euāgelium. Est igitur prædicatio, ministerium quod



quod homines exequentur. Per hoc enim inuitantur  
 ceteri, qui uocantur ad Christum, ad coenam illā mag-  
 nam, id est, Verbum Dei. Ex ijs facile intelliges, quo-  
 modo illud Christi intelligendum sit, Multi sunt uoca-  
 ti &c. Deinde & illud Pauli, Quos uocauit, illos &  
 iustificauit. Vocaticij itaq; sumus, non operarij: in uo-  
 catione, nō in opere, est nostra salus, cum dicat Chri-  
 stus, Ego uos elegi, uos non elegistis me.

SUPERSCRIPTIO.

Omnibus

Scilicet scribo dilectis. Hoc dicit, ne quis sibi meri-  
 tum fingat.

Vocatis sanctis

Quasi dicat. Nō operantibus, qui se non fecerunt  
 sanctos suis operibus, uerum sancti facti sunt per Deū.

Sācti ueri qui

Gratia uobis & pax

Hæc duo ubiq; imprecatur. Nam non alijs indige-  
 mus præter hæc. Nam gratia fauor est, quo nobis be-  
 ne uult Deus. Pax autem est tranquillitas conscientie  
 nostræ erga Deum: hæc in Deo, illa in nobis est: habe-  
 mus autem ista à Deo patre, non iudice, qui factus est  
 nobis per Christum pater.

Grætie & pa-  
 cis discrimē.

Et domino.

Nulla gratia

Hic uides quantum errarint, qui gratiam Dei suis ex meritis no-  
 meritis uoluerunt impetrare. Nam si gratia esset ex stris-

COMMENT. POMER.

Deum cur pa-  
ter dicatur.

meritis, non esset gratia, ut patet Capit. 4. A Deo patre nostro, & domino Iesu Christo, uenit ista gratia & pax, non ab ulla alia creatura, ut Philip. 4. Et pax Dei &c. Item Col. 3. Proinde Deo patris nomen adscribitur, quia id nomen est maiestatis, quo omnis creatura terretur, Sed qui audit nomen patris, non terretur nomine Dei, sed magis prouocatur, ut Deum fiducialiter accedat. Siquidem pater is est, qui diligit filium. Deus nos dilexit, ut Ephes. 1. Ergo accedamus, & nihil nos terreat. Christo item nomen maiestatis est additum, nam dominum uocat. Idque ideo factum, quia uidemus ipsum abiectum & humiliatum propter nos. Neque illud nomen, in Christo, nos terret, quandoquidem scimus ipsum esse Dei patris nostri filium, imò potius prouocamur, ut ipsum diligamus. Dominus est, quia regnum habet, in quo nos defendat contra Sathanam & mundum. Ergo recte gratiam & pacem precatur.

Primum.

Exordium est, à gratulatione ductum, quod in omnibus Epistolis uides, nam haecenus suum officium commendauit, ut certi essemus, Verbum esse Dei, non hominis: & missi à Deo, non Pseudoapostoli. Captat autem beneuolentiam à sua persona, quando dicit, se gratulari Romanis. Item à Romanis, quando dicit, fidem eorum ubique praedicari. Ideoque & orare se pro eis ait, quod est officium ueri Episcopi.

Per Iesum.

Quoties

Quoties Paulus sic loquitur, Christū mediatorē facit, quare nō opus est, ex uno atq; altero loco scripturæ urgere pōtificatū Christi, cū is in mille locis clarissime exprimat. In talibus locis ubiq; Paulus ostendit nos nihil posse, nostra opera nihil esse. Utinam Sophistæ id solum aduertissent, cur semper per Christum dicatur.

Pontificatus  
Christi.

### In toto mundo.

Vulgata est in scrip. hyperbole, Latine diceretur ubiq; q. d. quocunq; uenio, istic mihi de uestra fide dicitur. Itaq; hic iterum uides Episcopi ueri officium, non solum curantis, ut credant, sed ut quoq; progrediantur: ut quod prædicando non potest efficere, præstet oratione.

### Testis

Hic manifeste iurat Paulus, dum Deū testem citat. Nobis uero non licet iurare, neq; per Deum, neq; per ullam creaturam nostra causa. Item nec contendere in iudicio, iuxta dictum Matth. 5. Et certum est, Christianos non pro se & suis cōtendere. Paulus uero & Christus, item Christiani iurant propter nos: quemadmodū & Deus in Veteri Testamēto, iurauit per semet ipsum (nam maiorem se non habet) ut confirmetur conscientia nostra. Tanta est Dei misericordia, ut non solum promittat, sed & iuret nostra causa, cum alterum salus esset. Hic Paulus iurat nostra causa, ut credamus uerbo illius.

iurare in scrip-  
tura quid sit

## Spiritu meo.

Non elementis huius mundi, aut externis operibus, sed operibus quæ sequuntur internum spiritum. Nam sine illo, mera sunt hypocrisis. Spiritu deum is colit, qui non sua querit, sed gloriam Dei, & salutem proximi.

## In Euangelio.

Scilicet prædicando. Quia antea dixit se seruum Christi, qui est Dominus. Prædicatio fieri non potest sine externis: tamen is est cultus Dei in spiritu, cum scilicet non adultero Verbum, mea querendo, sed tantum ueritatem illius annuncio, Quasi dicat Paulus. Sic Deus cor meum finxit, ut nil aliud possim prædicare, quàm Euangelium.

Prædicatores  
ucri qui.

## Mentionem faciam

Id est, Coram Deo soleo etiam pro Romanis orare, ubi pro alijs oro. Oratio quam commendat scriptura est desyderium cordis, non multiloquium. Desyderium pauperum exaudit Deus. Quare nemo uere orare potest, nisi urgeatur necessitate ad orandum. Quando sentis tua mala, tum non potes non orare, etiam dormiens & bibens. Et hoc est quando Christus iubet sine intermissione orare. Quod nescio, quomodo exposuerint quidam, nam clauem Davidis non habuerunt, de horis statuis. Et bis pueri facti sunt, dum uoluerunt esse sapientes, hoc est, simul non intelligere,

Orare quando  
debeamus



gere, et simul negare uerba Christi. Huius orōnis & de  
 syderij exemplū uidere licet in captiuo: qui cū sciat se  
 laqueo debere perire, tamen perpetuo nō cessat de-  
 syderare, ut libretur, etiam quando dormit, sibi libera-  
 tatem somniat aliquam. Si itaq; sic adfectus es, semper  
 oras, uidens prae oculis imminens periculum. Sic Pau-  
 lus semper orabat pro Romanis, quia semper illorum  
 fidem praedicari audiebat.

Ad uos.

Contra Lib. Arb. haec est sententia Pauli, qui non au-  
 debat proponere, ut ueniret ad Romanos. Non curat  
 hic suam bonam intentionem Paulus, sed in uolunta-  
 tem Dei respicit. Nulla enim intentio nostra est bona,  
 nisi rectificata per Verbum Dei.

Contra Lib.  
 arbitrium.

Vt impertiar.

Id est, ut praedicem uobis euangelium, quo confir-  
 memini, scilicet, in fide uestra, quam de uobis audio.  
 Vides modestissime loqui Paulum, & tamen nimum  
 à se dictum putat, quare addit correctionem Rhe-  
 toricam.

Communē capiā consolationē.

Quasi dicat: in hoc ueniam ad uos, ut mea fides uos  
 consoletur, & me uestra: uel ut simul gaudeamus,  
 audientes fidē nostram mutuam, uti solent Christiani  
 Verum aliud interim agebat Paulus in corde, quia



## COMMENT. POMER.

timebat eos seductos per fiduciam operum, ut eos sic  
in ueram uiam reuocaret.

### Proposueram

Propositum nostrum nihil est, nisi uelit Deus, in eius  
ius manu sunt omnia. Qua uero occasione tandem per  
uenerit Romam Paulus, Acta Apostolorum declarant.  
Sed ita agit Deus, non Paulus.

### Fructum.

Scilicet Euangelij, id ipsum predicando inter uos.

### Debitor sum.

Quia omnium gentium sum Apostolus, ideo & in  
uos ius predicandi habeo. Græci dicebantur sapientes  
& Philosophi, inter quos erant & Romani. Barbari,  
Ad omnes nationes etiam Iudæi erant, & aliæ nationes, Hæc declarat, cū  
tiões fuit mis dicit: Eruditis, per quos Græcos: rudibus, per quos  
sus Paulus. Barbaros intelligit. Non minus rustici ad Euangelium  
pertinent, quàm sapientes. Non minus abiecti, quàm  
qui magni habentur. Siquidem donum fidei non litera-  
rum est, sed Dei.

### Quantum in me est.

Id est, non quòd uires meæ possunt, sed quantum mea  
permiserit uocatio, ut supra dixit: Volente Deo.

### Non me pudet.

Quando hæctenus predicauit alijs Gentibus, & uo-  
bis predicabo, scio enim, quàm insignis res sit & pre-  
siosa Euangelium, tametsi carni periculosa uideatur.

Est autem

Est autem hic totus locus attentionis, quo uideas, quam rem grandem sit dicturus. Sed utinam hanc sententiã hodie ratam haberent nostri, qui persecutionem patiuntur propter Euangelium. Siquidem tanta res est, que explicari non possit. Ideo exponit, dicens.

### Potentia Dei est.

Scilicet Euangelium. Tanta potentia Dei exercetur in eordibus nostris quando credimus, quanta Christum suum suscitauit à mortuis. Quis igitur non uideat à ratione nostra fidem, & Euangelium non posse comprehendere, cum tamen interim somniamus quandam carnis libertatem, quando audimus prædicari Euangelium, putamus id esse in nostra potestate, sed non est. Est ergo Euangelium instrumentũ quoddam, quo Deus salutem nostram in eordibus nostris operatur. Siquidem Deus per nihil aliud salutem operatur, quam per Euangelium, hoc modo uetustatem nostram interficiendo.

### Omni credenti.

Id est, corde suscipienti Euangelium, nam corde creditur ad iustitiam, non ore, aut alio membro, uel operibus. Non est igitur aliunde expectanda salus, quam à Deo per Euangelium, quod mihi fit salus & potentia Dei, cum credo. Ergo filij maledictionis sunt & damnationis, qui non credant.

ludæo.

COMMENT. POMER.

Exponit quid sit, credenti, ne quis se excuset, ut Iudei, qui gloriabantur se semen Abrahæ esse, quasi Christo nihil opus habeant. Et gentes, qui suas carnis iustitias & uirtutes iactabant. Ex hoc loco attentionis narrationem adgreditur, ex qua propositione colligimus, Solanos fide iustificari.

Iustitia enim Dei.

*Euangelium  
uerã aperit  
iustitiam.*

Hæc diligentissime sunt spectanda, & quo ordine omnia connectat, q. d. Euangelium aperit nobis ueram iustitiam, qua nos Deus iustificat. Non ualent hic iustitiæ humane, quibus intenti sunt Hypocritæ & gentes. Et olim semper fuit hæc iustitia incognita mundo, nisi quibus reuelata erat, ut Abrahamo, & ceteris. De hac David sepe: In tua iustitia libera me. Hæc nihil est dulcius pijs: sed ea carent impij & iustitiarj. Verum cum talia nos olim in Psalmis legeremus, abhorrebat ab ea lectione animus noster. Ideoq; certum est, uocabulum iustitiæ, nunquam eo tempore nos intellexisse, neq; etiam eam iustitiam nos habuisse.

Patefit.

*Vera iustitia  
indies auge-  
tur.* Dicit, non fit. q. d. Erat quidẽ illa iustitia ab æterno apud Deum, sed non cognoscebatur, nisi reuelata. Deinde ita patefit in cordibus nostris, ut intelligas eam indies in nobis augeri, & non statim perfecte illius nobis contingere cognitionem, In quo etiam ueram fidei rationem & naturam est cernere. Est autem ea, ut  
subinda

Subinde per Euangelium illa in nobis crescat, quod Paulus in Corinth. dixit: A gloria in gloriam, tanquam à Domini spiritu. Item in Ephes. quarto, Donec crescamus in uirum perfectum. Item Psalmista: De uirtute in uirtutem. Hæc omnia sunt cōtra saturos & crassos Christianos, qui se putant omnia affecutos, cum tamē piorum sit semper sitire, ut Matthæi. 5. Ideo subiungit testimonium Prophetæ.

Iustus ex fide uiuet.

Non ex operibus. aut creaturis. Non est ergo fides quiddam ociosum in homine, sed ipsa uita, nunquam quiescens. Viuet igitur, ut dicit Prophetæ, qui Christum fide expectat. Perdetur is, qui in suis iustitijs confidit.

Iustus ex fide uiuit.

Palam.

Quæ hæcenus sunt dicta ad exordium pertinebant: Nunc, quod & erat faciendum, primum lege omnes homines damnat, dicens, Iudeos & Gentes esse peccatores, atq; hoc agit in tribus primis capitulis. Nam necessario Paulus docturus, quæ esset uera iustitia, legem, id est, iram prædicat. cum dixerat: Euangelium est potentia Dei, & iustitia Dei per illud patet. Quid aliud consequi oportebat, quam omnibus hominibus Deum irasci, quia omnes uacui sunt iustitia Dei? Itaq; Euangelium cum prædicatur, primum ira plenum est & indignationis, non potest



COMMENT. POMER.

illud sustinere caro, quæ semper suas iustitias extollit  
 & magnificat: tum fieri nequit, ut non maxime odi-  
 at illa Euangelium & uoluntatem Dei, qua declarat,  
 nihil esse, immò maledictum, & abominationem,  
 quicquid conatur. Aliàs enim non diceret Scriptura:  
 In te benedicentur omnes cognationes terræ. Hoc ubi  
 Apostolus absoluit, nempe morbi explicationem, sta-  
 tim remediū subiicit, scilicet per Christum solum esse  
 iustitiam. Sed diligenter uidere uerba Pauli oportet le-  
 ctorem, nam nihil inuile adposuit. Nā si iustitia Dei  
 patefit per Euangelium, ergo etiam ira. Nam sic alte-  
 rum alteri infertur. Iustitia enim Dei omnia damnat et  
 iudicat in nobis. Sic itaq; Paulus uim legis declarat,  
 ut uideamus nostram paupertatem, atq; in ea Euange-  
 lizemur. Sic Christus Matth. 5. legem interpretatur,  
 non fert legem, ut quidam inepte ibi ex Christo legisla-  
 torem faciunt. Hunc ergo modum prædicandi obserua-  
 re debēt Prædicatores, ut primum nobis declarēt quid  
 à nobis exigit lex, non ferant legem, quando iam olim  
 in cordibus nostris scripta est. Lex bonum cor à nobis  
 requirit, atq; id natura non habemus: ergo statim ubi  
 prædicatur Euāgelium, cogimur uidere, quales simus  
 nempe filij iræ & perditionis.

Modus præ-  
 dicandi.

De Cælo.

Per Euangelium iustitia Dei arguit nostram iniusti-  
 tiam. Hæc autē peccati reuelatio contingit nobis tan-  
 tumē



tum è cœlo. Vnde & Christus dicit: Spiritus sanctus arguet mundum de peccato. Hoc iudicium non ex humanis uiribus uenit: latro qui furtum fecit, non nouit radicem peccati, tametsi sciat furtum esse peccatū. Solum Spiritus sanctus nostram reuelat hypocrisim, non ratio humana.

### Qui ueritatem.

Veritas ea est, quòd agnoscant quædam de Deo. Item sciunt quid faciendum sit, quid omittendum in moribus, illam inquam ueritatem prætereunt, & non uenerantur Deum timore & fiducia in ipsum, sed suam iniustitiã, id est, quicquid est infidelitatis ipsorum, hoc loco ueritatis honorant, faciuntq; ex suo peccato & ignominia Deum, & ex Deo peccatum. Hoc uitij omnibus innatum est hominibus, nec liberantur ab eo, nisi per Spiritum sanctum.

Veritas quid?

### Quod de Deo.

Hic non accusantur à Scriptura, quòd non cognouerint mysteria Trinitatis, Item ratioes chororū Angelicorū, sed quòd illud quod de Deo potest cognosci, neglexerint. Videbant opera Dei, uices temporū, cœlum dare pluuiã, Solem & Lunã splendorem suū, Item reliqua innumera beneficia, & quòd ipse nos fecerit, nō nos, ut inquit Psalm. Hæc omnia præteribant, ex quibus Deum potuissent cognoscere, ac deinde uenerari. Et exponit id Paulus in sequentibus.

Patefecit.

Scilicet per opera. Quae ubiq; iubet scriptura nos intelligere & contemplari. Vide totum Psalmum: Bonum est confidere &c.

Siquidem inuisibilia.

Deus quomodo inuisibilis

Id est, res illius Dei inuisibiles, nempe diuinitatem & illius potentiam, quas in Deo nunquam uidere possumus, ut Iohan. 1. Deum nemo uidit unquam. In operibus autem & creaturis uidetur.

A creatione mundi.

Videtur Deus per opera

Id est, à condito mundo. Semper Deus per opera potuit intelligi, non plus fuit cognitus post legem latam, quam ante legem. Sed uidere per opera potuerunt, glorificare non potuerunt, ut infra Cap. 3. Egent gloria Dei. Sed hoc ipsum etiam quod uidere potuerunt, contemptum est ab eis, per stultam sapientiam ipsorum: & obscuratum est insipiens cor eorum, ita ut dicat insipiens in corde suo, non est Deus, dum nemo intelligit aut requirit Deum, aut faciat bonum.

Vt sint inexcusabiles.

Scilicet illi, quibus Deus ista reuelauit, & ob oculos posuit: quia cum Deum cognorint, scilicet, ex operibus, haec de lege naturae intelliguntur. Nam certum est ex Paulo, & alijs Apostolis, uides in Actibus. Gentes Deum cognouisse. Illud autem non probabant. ex sacris Scripturis

Apostoli

Apostoli, quia eas risissent Gentes, nā illis nō credcbāt.

Non ut Deum.

Id est, non fisi sunt Deo. Iste est unicus cultus, & honor Dei, ut sciam unum tantum esse Deum ( etiam si legem, aut Euangelium, non legerim, aut non au- Vetus & veri-  
cus cultus  
Dei.  
dierim) quem glorificē, non illis aut alijs operibus, sed fide: quomodo? ut credam me omnia ex illius mani- bus accepisse, & accepturum. Idq; unicum requirit à nobis Deus, ut hoc solo simus grati pro beneficijs suis nobis collatis, quemadmodum uides Act. 14. Fe- cit caelum &c. ubi de creatione loquitur. Item Act. 17. Insignis est locus de mundi creatione, quae erat pra- dicanda Gentibus, cum Scripturis non crederent. Et profecto nisi Gentes Deum cognouissent, nō dixissent, Iouis omnia plena, ut in Arato & Virgilio uides.

Frustrati sunt.

Ecce quā bonae sint nostrae cogitationes, ubi à Deo derelinquimur: quisq; fingit sibi Deum, somniat Cogitationes  
nostrae uanae.  
quod sibi uidetur de illo. Sed illud cogitare, nihil aliud est, quā in densissimis tenebris, sursum ac Deorsum currere, nihilq; uidere quid agas: sic fit, ut negligamus ea, etiam quae natura nobis prae monstrantur. Haec excecatio est prima pœna peccati, & contēptus Dei. Altera est horrenda dictu, cum Deus nos nobis relin- quit in foedissimis operibus erga proximum.

Mutarunt gloriam.

Hic uides Idololatriã statim esse comitem excæca-  
tionis : quomodo uarijs imaginibus coluerint Gentes  
Deos, declarant historia, Item prophete.

### Quapropter.

Deus iustus est iudex, ut ipse statim ubi effinxerit-  
mus nobis in corde nostro Idolum, cui placeant nostra  
stercorea opera ( sicut Monachi cū blattis & cappis,  
Gentes cum suis talpis & anseribus fecerunt, ) pu-  
niet peccatū peccato, iusto iudicio. Nam cum in pec-  
catum aliquod manifestum & crassum incidimus,  
nihil certius esse nobis debet, quàm hoc peccatum fie-  
ri propter secretius aliud peccatum, quod non uides  
Terreat igitur nos nostra uita, in qua nihil aliud cerni-  
mus, quàm crassissima flagitia : hæc sint nobis inducia  
aliorum maiorum peccatorum, quæ non possumus ui-  
dere. Si igitur etiam peccatum illud manifeste cras-  
sum non agnouerimus, Væ nobis, certe actum est de  
nobis. Si autem agnouerimus, & pœnitentia fuerimus  
ducti, salua sunt omnia, siquidem potens est Deus ex  
stercore aurum facere.

*Nostra uita,  
nil nisi pecca-  
tum,*

### Cordium suorum.

Horrendum illud est, non dicit per Sathanam tra-  
didit, sed per illud quod iam in corde habent, quod gra-  
uissimum est periculum. Contra quod & oramus : Et  
ne nos inducas in tentationem.



In immunditiam.

Hanc post exponit quæ sit.

Veritatem.

Id est, agnouerunt unum Deum, & beneficia eius in creaturis, quem solum coli oportebat, sed illi in idola conuerterunt, & mendaces cultus: ut nos quoque fecimus, qui pro iustitia fidei iustitiam operum, & profana doctrina, doctrinam demoniorum accepimus.

CONDITA. id est, creaturas. V SVM.

Scilicet coeundi. PRAEMIVM. Quia tradidit eos in concupiscentias. NON PROBAVERUNT. Id est, nõ uidebatur eis bonum.

AGNOSCERENT. Quod licuisset ex operibus Dei. IN REPROBAM. Id est, contraria de Deo sentientem.

Omni uersutia.

Plura & pauciora hic potuissent enumerari, sed hæc certis numeris non debent adstringi.

Qui cum Dei iustitiam.

Hæc iterum de lege nature intelligi oportet.

Affentiuntur.

Perstringit quarundam Gentium hypocrisim, qui tamen in speciem iusti uideri potuerint.

FINIS PRIMI  
CAPITIS.



## CAP. II.

**S**icut superiori capite ostendit, omnes gentes esse peccatores, & crassissimos quidem, ita & hoc capite Iudæos peccatores declarat. Et ne quid hæreamus in nominibus, fiantq; obscuriora omnia, diligẽ

*Quid uocabu- ter obseruandum est, quid uocabulo Gentium & lu- lo Gentiu & deorum sibi Paulus uelit, ne quis ita sentiat, & dicat: Iudæorū sibi uelit Paulus.* Non sum Iudæus, neq; Gentilis, ergo quæ hic scribuntur, ad me non pertinent. Itaq; Gentes sunt manifesti peccatores in Scripturis, ut qui sciunt se scortatores, publicanos, meretrices, alijsq; obnoxios peccatis: quemadmodum in Euangelio publicanos & meretrices legimus: hi non possunt negare se esse peccatores, neq; negant unquam. Nomine uero Iudæorum, ueniunt ij, quos Iustitarios uocamus, à Iustitijs carnis, qui olim Iudæi & hypocritæ uocabantur: ij, inquam, nolunt esse, aut dici peccatores, quamquam omnibus peccatis sint obnoxij. Et quemadmodum Iudæi omnia contra impios in Scripturis dicta, in Gentes transferebant, sic nostri hodie in speciem probi & sancti, in alios torquent scripturas. Et talium in primis est iudicare alios. Nam hic fructus ex eo prodit, quod putant se iustos. Hi audent dicere coram Deo & hominibus: Non sum sicut cæteri hominum, id est, nō sum scortator, non fur, non homicida: cum interim cor ipsorum plenum sit infidelitate; & lingua blasphema:

*Nostri Iudæi qui sunt.*

Hoc est trabem habere in oculo, & eam non uidere, festucam uero in alio statim considerare. Sed uide in qua damnatione sint tales. Paulus eis cor durum, & pœnitere nescium attribuit: Nam difficulter conuertuntur ad gratiam: facilius crassi peccatores, qui non ita timent suis iustitijs, ut in Phariseo apud Lucam uides. Idcirco rectius sperandum de ijs, de quibus superiori capitulo dixit Paulus, quã de illis. Nam ij Euangelium audiunt, contra illi, tantum sua iustitia fidunt. Hinc uides diuersum iudicium Dei & mundi: Nam mundus de iustitiarijs sic iudicat: Esto, quòd sint peccatores, tamen non tam magni, ut palam impij, id est, scortatores, homicidæ &c. Contra Deus, maximos eos peccatores iudicat. Itaq; solus Spiritus sanctus arguit illos, in speciem probos. Nolunt credere ex uerbo Euangelij esse salutem, ideoq; percunt iusto iudicio Dei. Sic igitur ex hoc cap. clarum fiet, omnes homines esse peccatores.

Diuersum iudiciũ Dei & mundi.

### Quapropter.

Hæc non solum ad literam de Iudæis accipiendæ sunt, uerum de omnibus hominibus, qui faciles sunt ad damnandum & iudicandum alios: tamen præcipue hæc de Iudæis dicuntur. Sed hæc quomodo coherent, cum superioribus, cum inferantur ad illa? Optimo ordine. Nam ubi hominũ impietatem descripsit, mox pœnam eiusdem subiicit: deinde & qui sequerentur

fractus: & tandem concludit. Qui cum Dei iustitiam ex lege nature, uel ex conscientia naturali nouerint, scilicet furtum facere, occidere proximū, falsum testimonium, esse malū. At unde nouissent, nisi esset aliqua naturalis cōscientia, quæ dictaret ista esse mala, & addidit: Non solū &c. quo accusauit non solum eos qui in manifesto huiusmodi scelera perpetrarent, sed quibus talia placerent in corde, & ijs in corde delectantur, et uolūt uocari boni uiri, & sunt in speciem tales, qualia sunt omnia corda hominū, nisi gratia Spiritus sancti liberentur: aut manifeste hæc faciunt, aut tantū in corde id quod est coram Deo malefacere. Sed & non aliter

Deus iudicat  
animū & uo-  
luntatem no-  
stram.

homines iudicant, ut si quis proditorū, qui in animo statuerat prodere ciuitatē, ante proditionem deprehensus fuerit: nōne dicetur prodidisse? nam animo & uoluntate id fecisse conuincitur, is profecto damnabitur mortis sententiā. Cū igitur etiā homines ita iudicent, quæ de Deo dicemus, qui scrutatur corda, qui iudex est & testis eorū operū, quæ corde fiunt? Contra, si etiā homicidium feceris, nō uoluntate, non adest opus cordis, itaq; id nō imputatur apud Deum, neq; apud homines: si iuste utiq; iudicare uoluerim, illud externū opus sic manufactum, non est opus, quia corde non fecisti, sed opus internū cordis, etiam apud hoīes tibi imputatur, ut iam de proditiōe dixi. Ergo oēs hoīes sunt tales peccatores, etiā si in specie talia nō uideātur facere: ut Socrates, Camillus, Cato, ubi spiritu Dei nō illuminantur.

Quāto

Quam saepe Cicero egerit contra conscientiam, testantur eius scripta. Sic Philosophi alij non ulti sunt iniurias, sed a cupiditate uindictae non fuerunt liberi. Itaque inquit, qui adsentiantur tantum, et non faciunt externe, isti quoque sunt obnoxij morti. Sunt autem in hoc numero omnes homines: Id faciunt Philosophi, faciunt et Iudaei, nam utriusque in specie boni uideri uolunt, et alios iudicare. Ideo dicit: O homo quisquis es, id est, siue ex Iudaeis aut Gentibus, qui bonus in specie adparet, hypocrita es, bonus dicris, iudicas alios, sed turpe est doctori, cum culpa redarguit ipsum. Nisi putes te posse fallere Deum.

Eadem enim tu facis.

Scilicet corde, nam adsentiris, ut supra dictum est. Sed non potest perpetuo latere hypocrisis, quin se prodat opere externo, ut est nunc uidere in Monachis, quorum etiam uita in puerbum abiit, et pueri in plateis clamant.

Hypocrisis  
diu se non late-  
tet.

Scimus autem.

Scilicet, uel naturali conscientia, uel lege scripta, nemo hoc ignorat, siue sit ex Iudaeis, siue ex Gentibus.

Secundum ueritatem.

Id est, quod Deus alio utatur iudicio, cor intuetur, licet non eadem facis coram hominibus, tamen coram Deo, ideo reus es. EADEM. Scilicet corde.

Suffugies.

Vt maxime suffugias iudicium humanum, et te talem non agnoscant homines. Vide igitur quibus uerbis



describat sanctos illos homines, quid illis tribuat: impenitentiam cordis, & qui non possint resipiscere.

**Diuitias.**

Id est abundantiam bonitatis, id est, quod tam benigne nobiscum agat. Tolerant. Id est, quod suffert peccata nostra. Longani. Quod non statim punit.

**Ignorans.**

Ignorant Deum, qui putat se Deo proximos, & alios abiectos: iuxta illud Psalm. 13. Dixit insipiens in corde suo, non est Deus. Item, tribuit illis contemptum et superbiam, nam contemnunt has diuitias, quas peccatores & meretrices suscipiunt & admirantur.

**Pœnitentiam.**

Vt agnoscas te habere cor, quod non timeat Deum, non seruet legem, quæ dicit: Dilige Deum & proximum ex corde, sed adscribis eam externis obseruantijs, & gloriaris quasi serues.

**Colligis tibi ipsi iram.**

Id est, iudicium Dei facis tibi semper maius, tua scilicet sanctitate & hypocrisi: cum interim alij peccatores suscipiant Euangelium, & à iudicio Dei liberentur.

**Patefiet.**

Quod



Quod nunc absconditum est à mundo: qui superiori Capitulo describuntur, à mundo iudicari possunt, quis enim tales non diceret malos? Sed de his iudicium est absconditum.

### Qui redditurus.

Scripturarum ignari huiusmodi locos arripiunt, & uno versiculo uolunt pugnare contra totam scripturam, & hic contra scopum totius Epistolæ, non uidentes præcedentia & sequentia, dicuntq; Ecce hic locus confirmat, salutem esse ex bonis operibus, clamant, intonant, uociferantur, Ergo fides nõ iustificat, quia et in Psalmo scriptũ est, Reddet unicuiq; secundum opera sua. O cæcos homines, qui non uident fidem facere bona opera, & hunc saluari propter fidem infidelem uero mala, & hunc damnari propter infidelitatem. Spiritus Dei regnans in cordibus nostris facit bona opera, reliqua sine spiritu Dei sunt impia, Omnis enim plantatio quam non plantauit pater cælestis, eradicabitur. Porro, dum sumus in carne, illa opera tamen pura esse non possunt propter carnem, quare ne per illa quidem iustificari possimus. Itaq; ex fide tantum est iusticia, non ex operibus, quæ testimonium solum sunt pij & fidelis cordis.

### His quidem.

Distributio est, aliquibus est redditurus uitam, quibus?

Quicquid fit  
sine spũ Dei,  
est impium.

Qui perseverantes.

Quod nemo potest facere, nisi fidelis, hypocrita non potest impietatem diu celare, & pertinet hoc uocabulum, perseverantes, ad fidem.

Quærunt.

Gloriam Dei debemus querere.

Scilicet à Deo, id quod quoq; est fidei: alioqui quid carnalius dici posset? cum scriptura hoc prohibeat, & uult ut Dei gloriam queramus.

HIS.

Id est, alijs, mutat hic figurate orationem.

Contentiosi.

Qui contendunt contra ueritatem, non solum coram hominibus, sed etiam in corde, nihil enim certi possunt apud se de ueritate constituere, fluctuant & impelluntur ueluti undæ, cogitationes cordis eorum.

Qui ueritati.

Scilicet Dei, quæ solius Dei est. Nam omnis homo mendax. Sic enim semper apud se disceptant, forte uerum est, forte non, quærunt quid obiectent ueritati.

Iniusticiæ.

Prudens hic Paulus abstinet à uocabulis fidei & infidelitatis, at per iniusticiam, infidelitatē intelligit.

Indignatio.

Scilicet Dei, hæc duo in Deo sunt, sed anxietas & afflictio in nobis.

PERPETRANTIS.

Scilicet animo, & ex corde.

Iudei

### Iudæi.

Non hic differentiam facit inter Iudæos & Græcos, neq; hos priores, illos posteriores, ut exponit mox. GLORIA. Scilicet à Deo.

### Operanti.

Ex puro corde, alioqui non potest esse bonum opus, id quod uides per totam Epistolam. Nam quicquid non est ex fide, peccatum est, Rom. 14.

### Non est personarum.

Exponit quod ante dixerat, Iudæo primum simul & Græco. Iudæum non ideo saluat, quia Iudæus est: Gentilis, si neq; Græcum aut aliquem ex Gentibus ideo damnat, seruat legē, quia ex Gentibus est. Sed si Gentilis seruat legem, saluatur: si Iudæus est transgressor legis, damnatur. Nullus autē hominum unquam seruauit legem ex suis uiribus, ut Petrus in Actibus, Neq; nos, neq; patres nostri potuerunt portare onus legis. Hypocritæ cum respiciant tantum in externa opera, decipiuntur, putāt se legem implere, cum nihil minus faciant.

### Quicumq;.

Hic aufert Iudæis fiduciam legis scriptæ, nam iactabant se habere legem scriptam, ut nos hodie de Euangelio. At ex hoc nulla est iustificatio quod prædicatur Verbum, nisi corde arripiamus. Iudæi dicere potuerunt, Non fecit taliter omni nationi &c.

COMMENT. POMER.

Qui annunciat Verbum suum Iacob &c. Sicq; contendebant entes, & fuerunt Romæ propter hæc discordes inter se Christiani ex Iudæis & Gentibus: dicebant illi, Ex nostro sanguine est Christus natus: hæc cōtra, Vos Messiam occidistis, non recepistis eum qui missus erat uobis, ergo Deus nos Gētes recepit in gratiam. Itaq; ut æquet Gentes Iudæis, dicit, tã impij sunt Iudæi in lege scripta, quàm sunt Gentes in lege naturali. Sicut illæ naturalem uel legem conscientie non seruarunt, sic nec isti legem scriptam. Duplex itaq; Lex est duplex. est lex, naturalis & scripta. Naturalis, est ipsa conscientia, quæ est in omnibus hominibus, & Iudæis & Gentibus, nisi quòd eam homines non uideant, propter eam excæcationem, de qua dixi superiori Capit. Lex uero scripta est, quæ data est per Moysen, in hoc ut innouaretur lex naturalis in hominibus. Siquidem eadem est cum illa, utraq; docet colendum Deum, & non lædendum proximum. Erat lex naturalis oblitterata per malitiam in cordibus hominum, Ergo deus uoluit eam rursus inculcare per Moysen. Dicit itaq; Sicut lex naturalis non facit sanctos, sic nec lex scripta, sed seruata. Concludit igitur: Idem iudicium est super Gentes & Iudæos, utriq; sunt impij, & contemptores uoluntatis diuinæ.

Peribunt.

Scilicet sine lege scripta, habent conscientiam quæ eos indicat & arguit.

In lege



## In lege.

Id est, Iudæi, quibus data est lex, iudicabuntur per eam legem, est enim Moses qui ipsos accusat. Excæcaba: eadem opinio Gentes & Iudæos, Gentes dicebant, qui benefacit, bonus est, sic & Iudæi. Sed interim non intelligebant, quæ essent bona opera, quod uidere potuissent, si non fuissent excæcati, Nempe se non amare legem, sed omnia facere quodam fastidio & odio cordis, aut amore sui.

Iudæi iudicabuntur per Moysen.

## Qui audiunt.

De externo auditu intellige, prædicatur eis lex, legunt, sed frustra. Aliàs sæpe, audire, in scripturis credere est, ut Audi Israhel &c. FACTIS.

Id est, operibus.

## Legem.

Id est, id quod lex requirit, nempe, ne concupiscant, id est, ne scortentur corde, bene uelint proximo. Uia illa sunt facta Christianorum, siquidem sunt ex uirtute Spiritus sancti: facta hypocritarum sunt mortua, id est, in corde talia non sunt, qualia foris adparent. Phariseus in Luca, nõ est occisor foris, uerum in corde omnes homines occidit: non sum, inquit, ut ceteri &c. Huiusmodi sententijs abutuntur stulti interpretes pro sua libidine contra scripturam.

Opera hypocritarum mortua.

Nam cum gentes.

Quidam de Gentibus conuersis ad Christum, hæc



intelligi uolunt, sed simplicius est, si conditione di-  
 ctum intelligas, utpote, Nam cum Gentes fecerint  
 &c. Id est, si facerent Gentes ex naturali lege, ea  
 quæ sunt legis scriptæ: sed quâdo faciunt? nunquàm:  
 conscientiam habent quod reuereri debeant Deum,  
 non facere malum. At ubi faciunt mala uel bona, ex-  
 cusat eas uel accusat conscientia eorum: habent con-  
 scientiam bonam uel malam, secundum quod faciunt.  
 Itaq; hæc lex naturalis, id est, conscientia, est in omni-  
 bus hominibus, ut possint uidere quæ sint mala, quæ  
 bona, aut facere, habent conscientiam in quibusdam  
 se benefecisse, in quibusdam male.

Conscientia  
 docet, quæ  
 nam Deo  
 debeamus.

### Quæ legem.

Scilicet scriptam. Sententia est, uos Iudæi putatis  
 uos præstare Gentibus propter legem, an ignoratis  
 apud Deum non esse contentionem de lege scri-  
 pta uel non scripta, sed impleta? Si aliquis Gentium  
 impleat legem quam mandauit Deus, nonne melior  
 erit Iudæo non faciente. Itaq; nihil prodest lex scri-  
 pta, nisi sit impleta.

Implere legē

### Natura.

Id est, naturali lege, habent enim conscien-  
 tiam, quæ dicat talia facienda uel omittenda, quæ  
 lex scripta.

### Sibi sunt lex.

Id est, per conscientiam suam, sua corda habent  
 pro

pro lege. **AVDIUNT.** Scilicet implen-  
do uel negligendo.

**Simul attestante conscientia.**

Scilicet eorum quæ dictat quædam esse mala, quæ  
dam bona. **ACCUSANTIBVS.** Scilicet,  
si quid mali fecerint.

**Excusantibus.**

Si quid recte fecerint, id est quod sibi uellent fieri:  
non dico coram hominibus, id enim est hypocrisis,  
sed coram Deo. **IVXTA EVANGELII**  
mei prædicationem, id enim reuelat peccatum, cū sit  
iudicium Spiritus sancti. **PER CHRISTVM.**

Scilicet, qui erit iudex.

**Ecce tu Iudæus.**

Non solum hoc agit, ut omnes homines peccatores  
esse probet, sed ne excusationem quidem habere Gen-  
tes: excusari nequeunt, cum dicant, Legem non habe-  
mus. Imò, ut in 1. capite dixit, Legem habent nature,  
potuerunt ex operibus & creaturis cognoscere con-  
ditorem: cognouerunt igitur, sed non sicut Deum glo-  
rificaucrunt, itaq; stulti facti, ad idololatriam defecerunt,  
& creaturas pro Deo adorauerunt. In hanc cæ-  
citatem & alia uitia sunt lapsi, mansit nihilominus in-  
teris conscientia, quæ talia damnauit, ergo sui iudices  
fuerunt, ut uides in fine 1. cap. Qui cū norint Dei ius-  
ticiam &c. Præterea neq; Iudæi habent excusationē,

Omnes pecca-  
tores sumus.

quia propter legem naturæ habent legem scriptam, ut grauius damnentur. Itaq; sententia est Pauli, quod neq; qui in manifesto sunt peccatores, neq; illi q; boni uiri sunt, & in speciem sancti, sunt excusabiles, quia nemo habet cor mundum. Sed cum hæc Paulus de hypocritis dixerit, putabant iudæi non de se dictum, ideoq; iam manifestius loquitur, dicens, Ecce tu uideus uis dici uir probus, & sanctus haberi ab omnibus, gloriaris in Deo, sed non ex fide in corde, quod unum commendat Scriptura, quicquid agis, id est hypocritis, ut maxime bona ab hominibus iudicentur: alium doces, & teipsum non doces &c. Sicut nos hodie Euangelium in ore habemus, alios uolumus docere, at in corde ipsi nihil habemus, Væ nostræ hypocrisi, iudæum esse aut Christianum, est corde confiteri Christum, non ore tantum. Hinc Martyres & Confessores dicti sunt, quicunq; uere Christum sunt confessi. Tametsi in Papistico illo Catalogo Sanctorum non idem esse uideantur.

Euangelium  
solummodo  
in ore habemus.

### Acquiescis.

Id est, applaudis tibi ipsi, quod acceperis legem scriptam, GLORIARIS. Quasi sis ex populo Dei.

### Voluntatem.

Per literam, dicere potes, hoc placet Deo, hoc non placet.

## Laudas eximia.

*Id est, ea quæ bona sunt. Vnde hoc nosti? quia institutus es in Mose & lege.* CONFIDIS

QVE. Non dico quòd es. CAECORVM.

*Id est, ignorantium.*

## Lumen in tenebris.

*Id est, eorum qui errant, non nouerunt Deum, ueritatem &c.* ERVDITOREM. Copia est in ijs uerbis.

## Habentem.

*Id est, qui habeat. PER LEGEM. i. scripturam sanctam, in qua nihil non adsecutum te putas.*

*Hæc omnia secundum affectum illorum hominum in speciem sanctorum locutus est.* DOCES. Scilicet ex lege, scripturis sanctis. TEIPSVM.

*Id est, ea ipsa quæ doces, non imples.*

## Turaris.

*Id est, in corde concupiscis aliena, ut in 7. cap. uides. Loquitur uulgaribus uocabulis de peccatis, abstinet interim à uocabulis, pietatis & impietatis usq; in suum locū. Gentes dicebant, Bonus uir est, qui non facit malum &c. Iudæi, Bonus uir est, qui facit bona opera. Aliter uero spiritus sanctus, qui curat mores istos philosophicos, nec hypocrisim sanctorū: ibi est peccatum, ubi mundus putat esse sanctitatem: ideoq; hic dicit, putas te non esse furem, cum tamen sis fur.*

Hypocrisis  
maximum  
peccatum.



Committis.

Scilicet corde, ut Christus Matth. 5. interpretatur, Qui uidet mulierem ad concupiscendum. Quis illorum est, qui hodie uoluerunt esse castissimi, qui non hic peccarit? Hic, si possunt nostri Monachi & Monachæ, defendant suam castitatem, nisi ipse Christus & Paulus sic interpretaretur, nemo posset id esse adulterium credere, quod in corde committitur.

Sacrilegium admittis.

Sacrilegiū quid. Furaris Deo suum honorem, nam sacrilegium est furto auferre rem sacram. Est autem sacratissima res honor Dei, quem iustitiarj sibi arrogant, tribuentes iusticiam suis operibus. Quod potest esse maius sacrilegium? Gloria & honor iustificationis soli Deo debetur, non nostris uiribus aut meritis. Nam dixit in Propheta, Gloriam meam alteri non dabo. O impios Hypocritas, qui externa Idola, & Gentes Idolatras execrantur, interim tamen, quod maximum & sanctissimum est in Deo, sibi arrogant: Christus uoluit Matth. 23. ut tantum unum magistrum agnosceremus, Quid igitur stulti nobis sumimus?

De lege.

Id est, de hoc tibi places, quod habes legem.

De honestas.

Id est, transgredieris legem. Tu dicis, Gentes sunt.



sunt maledictæ, quia non habent legem. At interim  
 tu hypocrita, non uides quod ipse sis transgressor le-  
 gis. Quicunq; enim non eruduntur spiritu, non pos-  
 sunt, nisi crassa peccata cernere, hypocritarum pec-  
 cata latent & absconduntur in eorum ipsorum dam-  
 nationem, non uident infidelitatem esse peccatum,  
 & soli Deo fidendum, nesciunt: qui hoc non uident, **Qui non eru-**  
 non uident odium & inuidiam quo laborant, nec ui- **diuntur spū,**  
 dent concupiscentiam esse peccatum. Somniant in- **nil nisi pecca-**  
 terim sibi iusticiam ex suis operibus quæ faciunt. **ta cernunt.**  
 Sunt igitur deteriores Gentibus, contemptores sunt  
 & irrisores nominis Dei in cordibus suis, ut Psalm.  
 Dixit insipiens &c. indicat, hæc quia manifesta sunt,  
 non libet pluribus persequi.

### Nam nomen Dei.

Vides Paulum in hoc Cap. de occulta impietate  
 & ficta sanctitate loqui, propter quam nemo male **Ficta san-**  
 audit inter homines, sicut hætenus in Monachis ex- **ctitas. ●**  
 perti sumus, nemo nõ rectissime de ipsis sensit. Quid  
 ergo dicemus ad Paulum, cum illam occultam hypo-  
 crisin non iudicet mundus? Respondeo. Ista sancti-  
 tas simulata, non potest se continere, quin aliquan-  
 do prodat se suis fructibus: sicut hodie nemo non ha-  
 bet in ore Monachos, nemo non ridet eorum sancti-  
 tatem, reuelata est iam ignominia huius meretri-  
 cis, ut & pueri in plateis ipsam rideant uulgaribus

quibusdam cantilenis, quod & accidit Iudæis, quem admodum propheta testantur. Est uero hic locus ex Ezechielis. 36. de sumptus, tametsi quidam uelint ex Esaiæ 52. ipsum prolatum, ubi describuntur Gentium irrisiones, & uerba quedam mimetica, quibus amaru- lente cōtra Iudæos utebantur. Nam cum speciem pietatis prætexebant, & pia docerent, tamen impia quædam & scelerata Gentes in ipsis uidebant, quæ mala esse iudicabant lege naturali. Sic autem habet Ezech. Polluerunt nomen sanctum meum, cum diceretur de eis, Populus Domini iste est. Ita & usura, luxus, auaritia, tyrannis, odia, inuidiæ, etiam mundo prodiderunt illam fictam sanctitatem Papisticorum, Monachorum, & Pontificum: hoc ergo est blasphemari nomen Dei in Gentibus. Caueamus & nos hodie hoc ipsum, qui maxime uolumus uideri Euangelici, ut non intus lateat sordidissima sentina omnium uitiorum.

Polluere no-  
men Dei.

### Nam circuncisio.

Circuncisio  
externa ni-  
hil prodest.

Iam exponit quod dixit, quod externa sanctitas nihil sit, sine iusticia & sanctitate cordis: ubi illa est, ibi & externa sunt sancta: sine hac, omnia sunt hypocrisis maledicta. Ergo hic eis supercilium detrahit Paulus, dicens, O Iudæi, nihil prodest uestra circuncisio externa, sine circuncisione cordis: in corde ser- uatur lex, non externis signis. Quemadmodum & bap- tismus inutilis est, nisi credas in Christum te rege-

nerantem & ablucntem igni & Spiritu sancto, nam etiam baptismus aquæ, est baptismus Christi. Prodest circuncisio, & illam magnifacio, sed absq; re illam habere quid prodest?

### Transgressor.

Id est, si legem in corde non seruaris. CIRCUNCISIO TVA. Scilicet, quæ in cute est.

### In præputium.

Id est, nihil est coram Deo, perinde est, ac si esses Gentilis.

### Ergo.

Hoc est, quod supra dixit, nam cum Gentes quæ legem &c. Id est, si Ethnicus dilexerit proximum, & fecerit ea quæ mandat lex, is iustus coram Deo reputabitur. Non tamen ex ijs locis conuincet, Gentes naturali lege, facere posse legem, & consequi iustificationem, quæ ex solo CHRISTO est. Sic in Euangelio dicit CHRISTVS, Si uis uitam ingredi &c. Non dicit, quòd possit seruare mandata &c.

Iustificatio  
non conse-  
quitur lege  
naturali.

### Imputabitur.

Id est, habebitur coram Deo pro uero Iudæo.

### Et iudicabit.

Periphrasis est Gentilis, eius qui non est ex carne Abrahæ natus. SI LEGEM SERVA.

Id est, das muß da bey seyn.

## Iudicabit.

Id est, damnabit te. PER LITERAM.

Qui in ipsa litera es transgressor, nam non habes in corde tuo quod litera exigit, lex igitur erit tibi in damnationem, quæ debebat esse in salutem. Sic oëm si-  
duciam aufert à sanctulus, ut cognoscant se habere cor  
impurum. Sic Christus de regina Austri loquitur.

## Iudæus.

Coram Deo iustus est, nõ Iudæus coram mundo.  
Iudæus con- Multi clamāt, Domine Domine, sed in corde nõ agno-  
fitentem si- scunt Deum patrem. Iudæus, confitentē significat, nõ  
gnificat. labijs, sed corde confiteamur nomen Domini.

IN MANIFESTO. In cute corā hominibus.

## In occulto.

Id est, corde per fidē, qui confitetur in corde Chri-  
stum, saluus erit. Ro. 10. Itaq; Iudæi non intelligebant  
uoluntatem Dei in circuncisione, quam tamen Moses  
in Deuteronomio interpretatus est, dicebat, Circum-  
cidite præputia cordium uestrorum. Et Hieremi 10.  
Incredulos, incircuncisos adpellauit.

## Non litera.

Quæ est omne quod foris agi potest: Spūs autē est  
motio Dei quæ uiuit in corde, qui uere circūcidit cor:  
Et hanc circuncisionē hoies non uident, non est ergo  
regñū Dei in obseruatiōibus externis et elemētis mō-  
di. Idcirco falluntur, qui Christianū ab externis iudi-  
cant.



ant. Constat Deo iusticia uera, non hoibus, & Deus illā laudat & probat, nō mūdus, qui totus cōtra eam insanit, quē admodum hodie uidemus, nā nihil est ipsi Belial cū Christo filio eterno Dei, qui est filius lucis.

## CAP. III.

**H**æc parerga sunt, & digressio quædā, in qua obiectioni impiorum respondet. Ex prædictis enim aliquis potuisset inferre, Si Gentes æquātur Iudæis, ergo nihil ipsi habent prærogatiui præ illis, cū Deus nō fecerit taliter omni natiōi, elegit eos in sacerdotiū regale, & peculiariter eis cōmisit Verbū, igitur aut tu impie doces, aut oīs scriptura, quæ præfert Iudæos Gentibus, est mendax. His respondet Paulus.

### Quæ utilitas?

Scilicet præ Gentibus. **MULTVM.** Respondet ad obiecta. Primū, inquit, eis promissiones diuinæ cōmissæ sunt: magna hæc est gratia, quā sæpe Prophete decantāt, quæ olim Iudæis ostensa est, ut hodie nobis per Euangeliū. Quia nō pōt frustra Verbū Dei emit-  
 ti, Esa. 55. ut maxime nō oēs illud suscipiāt, & quē admodum noctu in tenebris nemo uidet, nisi ad candelā accensam. Ita oēs nihil uidemus sine Verbo Dei, quod uera est lucerna: & sicut lucerna nō oībus est utilis, ut pote somnolētis & cæcis, sed solū euigilātibus. Sic Verbū Dei excæcatis & cessatoribus nihil pdest, sed tantū ijs q̄ lāpadibus accensis uocē sponsi expectant.

Verbum Dei  
frustra nō po-  
test emitti.

Non ferunt, ne hodie quidem Iudæi & hypocritæ, ut sibi conferantur meretrices & publicani, ut maxime sexcenties dicant, *Mea culpa, Mea maxima culpa.* Indignantur, rumpi uolunt, quoties audiunt, Meretrices & publicani præcedent uos in regno Dei. Pertinet autem proprie ad scopum huius Epistolæ, quod Paulus Iudæos Gentibus æquat, ut tandem inferat, omnes homines esse peccatores. Cur uero hic præferat Iudæos Gentibus, similitudine rectius intelliges. Primum, aliud est promittere, aliud præstare promissa. Iudæis & Gentibus sunt promissiones factæ, ut in Genesi, In semine tuo benedicentur omnes Gentes. At Iudæi, habebant id ob signatum & munitum literis sacris, Gentes uero ignorabant ad se pertinere promissiones, cum non haberent sacras literas in testimonium ut Iudæi, quemadmodum uidemus in Mose. Sicut promitto duobus fratribus centum aureos nummos, uno do literas meas in testimonium promissionis, alter uero promissionem factam ignorat. Tempore designato do illi suam partem, do & alteri qui ignorabat promissum, nonne is melius habuit, cui dederam meas literas in testimonium, altero, quem fugiebat promissio? ut maxime tantum acceperit, quantum ille. Secundum promissionem hunc præfero, secundum rem promissam nihil habet præerogatiui præ altero, & fit ut secundus gratissimus sit, alter ingratus, quia dicit tu promisti, ergo debebas mihi. Sic gentes, nihil tale

Cur Paulus  
præferat Iudæos Gen-  
tibus.

operantes

ſperantes, promiſſiones acceperunt, ideo ſunt gratis ſimæ, & Deum laudant. Iudæi uero & iuſtitarij putant ſe ſuis meritis accipere, ut parabola Euangelicæ de conductis operarijs indicat: ergo iuſtitarij nequaſi iuſticiarij, nõ quam ſunt meliores publicanis & meretricibus, nam meliores publicanis. ſi meliores eſſent, id eſſet ex Verbo Dei, quod eis erat præſtandum. Non tamen ſolum Iudæis erat præſtandum, ſed & Gentibus, quibus æque erat promiſſum, ſed ignorauerunt, ne igitur uideretur Paulus contemnere Verbum Dei, in quo præferri poſſent Iudæi Gentibus, hæc præoccupauit.

Illud.

ſcilicet, eſt in quo ſunt præferendi, habebant promiſſiones ſalutis: at ubi ſalus præſtanda erat, & Gentibus hæc contigit promiſſio.

Quid enim ſi quidam.

Alia eſt occupatio, ne quis diceret, quid profuerunt eis oracula Dei, cum maior pars Iudæorum non crediderit illis, imò grauius propter hæc damnati ſunt & abiecti, nam patres in deſerto perierunt, & tantum Iosue & Caleb ingreſſi ſunt terram: deinde quibus data eſt terra, ij rursus eiecti ſunt, & tandem ubi redirent ex captiuitate Babylonica, occiderunt Prophetas & Meſſiam. Vide orationem Stephani Act. ſepimo.

Q V I D. ſcilicet dicam.

D

Fidem Dei.

Id est, fidem in promissiones Dei. Itaq; hic obserua, fides Dei ea est, qua Deo credimus, & eius Verbo, non qua Deus credit. Nemo autem credit Deo, nisi loquatur, sicq; uerbum materiam (ut ita dicam) fidei exhibet, in qua exercetur. Sic Christus loquitur de fide Mar. xi. Habete fidem Dei &c. ILLO RVM. Scilicet, qui noluerunt credere.

Absit.

Tametsi Deus promiserit, & Iudæi non crediderint, non sequitur Deum esse mendacem, ut caro infert. Deus non potest mentiri, promisit credentibus, non incredulis. Nam promissio ibi tantum est promissio, ubi est fides. Manet ergo Deus uerax, ut infert.

Sit.

*Natura sumus mendaces.* Id est, maneat. Nos ex natura sumus mendaces & peccatum. Quicquid de pietate loquimur, mendacium est & hypocrisis. Deus non potest fieri mendax, etiam si totus mundus periret, credentes accipiunt, quod increduli non merentur.

Vt iustificeris.

Id est, O Deus, ut iustus inueniaris.

Vincas.

Scilicet, sentientes contra tuam ueritatem, scilicet, te non inueniri iustum.

Iudicaris



## Iudicaris.

Scilicet ab eis. Admirabilis est hæc sententia. Vt  
 de Annotationes nostras, & D. Martini in hunc Psalmum. Sic enim habet Psalmus: Tibi soli. Id est, in  
 oculis tuis sum peccator, ut maxime sim purus coram  
 hominibus. Hoc ego tibi cōqueror o Deus. Ad quid?  
 ut tu iustus inueniaris, & uincas & ostendas te uera  
 cem, ubi ab alijs mendax iudicaris. Summa est, ut  
 Deus uerax sit, necesse est me esse peccatorem. Tota  
 Scriptura clamat nos esse peccatores, & per solum  
 Christū iustificari, ergo necesse est, ut præcedat pec  
 catum, & declaretur iusticia Dei. Quomodo enim  
 mihi Deus remitteret peccatum, cum non haberem  
 peccatum, Esaie .4. Si abluerit Dominus sordes & c.  
 iusticiarij cogitant, neminem occidi, sic de alijs pecca- Natura nescit  
 catis. Natura enim non nouit fontem & radicem pec- fontem pecca  
 tatorum, non nouit nisi fructus, id est, crassa peccata torum.  
 que coram hominibus sunt peccata, ut Capit. 2. Pec-  
 catores autem dicunt, tu promissisti te iustificaturum in  
 iustos, ecce ego iniustus sum, peccator sum, manse-  
 sta in me gloriam tuam, & ueritatem tuam. Sic igitur  
 iusticiarij iudicant Deum, & faciunt ipsum men-  
 dacem, cum se non putant opus habere Dei iusticia.  
 Verum Deus suo tempore, & ipsos uincet, in tenta-  
 tione scilicet, & horrore mortis, inferni & pec-  
 cati, in qua pereunt, quia non edificarunt su-

pra petram, sed supra arenam, Matth. 7. Tum confusione confundentur, neq; erit eis lux, nam non possunt inuocare nomen Domini.

Quod si iniusticia.

Hoc omnino est extra propositum, sed mos est Paulo, propter citationem aliquam ex Scriptura, adducere quaedam extra propositum: tamen ea ut necessaria tractat, ne quis ex citata Scriptura aliquid minus intelligat. Dixerat enim ex Psalm. Ut iustificeris. Quod intelligere non potes, nisi legas priora, Tibi soli peccavi. Altas enim statim inferret caro, Ergo peccamus, nam in hoc faciemus Deo maximum honorem, quo grauius fuerit nostrum peccatum, tanto erit illustrior Dei gloria. Certe uerum est, Deum ex nostris peccatis glorificari. Sed quod infertur, Ergo peccabimus, hoc malum est. Simile exemplum Scripturae citat per Paulum, habes Ephes. 4. ubi citat ex Psalm. Ascendens in altum, captiuam duxit captiuitatem, dedit dona hominibus. Non ibi propter primam aut secundam particulam citatur Scriptura, uerum propter ultimam, quae est de donis, de quibus in eo loco Paulus agit. Sic & hoc loco, adducit Paulus uersum, qui potuisset occasio esse impijs, ut dicerent, Ergo peccemus fortiter. Ideo praecipue & exponit.

Verus sensus  
Scripturae.

Iniusticia.

Si clarior sit gloria Dei meo peccato.

Qui inducat iram.

Scilicet, contra nostram iniusticiam, qui iudicabit opera nostræ impietatis in extremo iudicio. Certe si iudicabit, iniuste factet, nam id erit contra suum honorem. Dum peccauimus, non contra eum fecimus, sed pro eius honore. Iniustus equidem esset, si ob id nos puniret, ex quo illi oritur gloria.

Humano more.

Temperat hanc blasphemiam. q. d. carnalis hominis & impij hoc est argumentum. ABSIT. Quasi diceret: Blasphemia est.

Nam quomodo.

Qui uult arguere alios, non debet ijs esse obnoxius, propter quæ alios arguit. Si hoc decet hominẽ, maxime Deum. Necesse est igitur eum irreprehensibilem esse, qui alios uult damnare & iudicare. Sed ne quis dubitet hoc esse argumentum carnale, amplificat ipsum, dicens.

Irreprehensibilis sit, qui alios uult arguere.

Etenim si ueritas Dei, per meũ mendacium.

Id est, peccatum (quod ante dixerat iniustitiam).

Excelluit.

Id est, gloriosa apparuit, ad hoc, ut ipse inde glorificaretur.

Quid iudicor.

COMMENT. POMER.

Id est, à Deo, nam de iudicio Dei, non hominū,  
 dicit, imò deberet me peccatorē exaltare, non dam-  
 nare, cum hoc agam, ut gloria eius manifestior fiat.  
 An ueluti peccator iudicor, id est, ueluti admiserim  
 aliquid contra Deum, cum pro eo fecerim. Hoc argu-  
 mentum carnis quisq; apud se inueniet, ubi Spiritui  
 sancto non permiseru se docendum. Prædestinatio of-  
 fendit carnem, nam non potest dicere cum Christo:  
 Prædestina- carnaem. Fiat uoluntas tua. AC NON POTIUS.

Vuer das nit besser.

(Quemadmodum de nobis.)

Quando prædicatur Euangeliū, non possunt car-  
 nales non dicere; Ecce Apostoli & Euangelistæ do-  
 cent mala facere, nam prohibent bona opera. Id quod  
 Bona opera & nos audire cogimur hodie, dum tamen non ope-  
 nō sunt pro ra, sed fiduciam in opera prohibeamus. Est autem  
 hibenda. hæc sententia in parenthesi posita. DICERE.

Id est, docere.

Faciamus mala.

Nam illud multo melius est. VT VENI  
 ANT BONA. Id est, oriatur inde gloria Dei.

Quorum damnatio

Hæc est plena solutio argumenti carnalis, tametsi  
 quidam putent Apostolum contempsisse, & non solu-  
 uisse. q. d. qui dicunt, si gloria Dei illustrior fit, pec-  
 cabimus, illorum damnatio est iusta, quia nolunt resipi-  
 scere,



scere, quasi nō satis peccarint: & cū nihil aliud sint q̄ peccatum, putant se non satis peccasse, quemadmodū illi in Malachia. Tales autem non desyderant remissionem peccatorum, quando peccatis gaudent, idcirco id consequuntur, ut pereant iusto iudicio Dei.

### Quid igitur.

Hic redit ad institutum, quia primo Cap. omnes Gentes peccati arguebat, nec in hoc esse excusabiles, quōd non habuerint legem scriptam, ostendebat. In secundo, & Iudæos peccatores pronunciarat, ut cunq; simularent iusticiam. Ideoq; nec ipsos excusari posse coram Deo. Nam quæ ad literam tantum fiunt, illa nihil sunt coram Deo, sed quæ sunt in spiritu. Ex ijs ergo duabus propositionibus infertur tertia. Ergo omnes homines sunt peccatores: itaq; inquit, Quid igitur præcellimus, scilicet, nos Iudæi (siquidem & Paulus fuerat Iudæus.) EOS. Scilicet Gentes.

### Nulla modo.

Quō ergo antea dixerat, Multū per omnē &c. Verū est, quod ad promissiones factas attinet, meliores sunt Iudæi: sed si respicias iusticiā, & Iudæi & Gentes destituuntur gloria Dei, id est, oēs sunt peiores.

### Ante.

Id est, in primo & secundo Capit. ubi non tantū causas ostendit, uerum etiā dixit, ipsos excusationem nō habere, sic enim seipsum interpretatur Paulus.

Omnes peccato.

Haecenus ergo hanc propositionem tractauit Paulus, probabit & confirmabit eam iam quoque Scripturis certissimis, ne qua elabi possimus: atque ex hoc disces, *Ordo praedici-* qui sit ordo praedicandi Euangelij. Primum, per legem sunt hominum peccata detegenda, ut sibiipsis incipiant displicere, & desperare in suis uiribus. Deinde subiicienda est consolatio, Christum scilicet esse iustificatorem nostrum, remitti nobis peccata, quia ille placeat patri. Nemo utitur pharmacis, nisi morbum ante cognorit. Sic quomodo non intelliges Deum misericordem esse, nisi uideas te filium irae & damnationis esse? Euangelium reuelat cogitationes cordium, id est, aperit quanta sit in nobis iniquitas, ut tandem confugiamus ad Christum, ad blandientem nobis, quemadmodum mater suo filio blandiri solet. Sic Christus quando praedicabat, primum dicebat: Poenitentiam agite, agnoscite uos peccatores, & perueniet in uos regnum Dei. Quare prudenter Paulus praemisit damnationem nostri, priusquam iusticiam per Christum describat. Sed diceret caro: Nunquid uerum est, omnes homines esse peccatores? nonne multi sunt boni & deuoti (ut illi loquuntur) in Monasterijs patres? Haec prauidens Paulus, ne putent esse somnium humanum, profert manifestas Scripturas contra eos, quibus tamen uix conscientiae nostrae conuinci possunt, usque adeo sumus excæcati.

Sicut scriptum est.

Scilicet in Prophetis . q . d . non est mea sententia .  
 Scilicet hoc imposuit, ut omnia congererent in Psalm .  
 13 . cum tamen in eo non legantur apud Hebr . Sed in  
 nouo testamento id frequens est, ut citentur in uno lo  
 co ex diuersis scriptoribus sententiæ, quod uides in  
 principio Marci . Sicut scriptum est in Prophetis . In  
 hoc loco quædã ex Esaia, pleraq; ex Psalmis deprom  
 pta sunt, nonnulla ex Prouerbijs .

Non est iustus .

Scilicet, in terra, quia Psalm . dixerat : Deus pro  
 spexit è caelo, num esset iustus quispiam : sed uidit om  
 nes iniustos, ergo egent iusticia Dei . Quidam dicunt  
 exceptum Christum, per hoc quod dicitur : Vsq; ad  
 unum, sed hæc non est sententia .

Intelligat .

Id est, cognoscat Deum, uel discernat bonum à  
 malo, Esaia 5 . Væ qui dicitis malum, bonum .

EX QVIRAT . Diligat Deum .

Omnes deflexerunt .

Semper dicit, omnes, an non hoc intelligant nostri  
 iustictarij . Esa . Omnes nos quasi oues errauimus,  
 unusquisq; declinauit in uiam suam, neglecta uia Dei .

Simul .

Id est, omnes inuitiles sunt . Inutile est, quod non

## COMMENT. POMER.

consequitur eum finem, ad quem creatum est, id est,  
non apprehendunt salutem.

### Exerceat.

Id est, faciat bonum, id est, non sunt candidi -  
Aliud in corde, aliud in ore habent. Aliud foris simu-  
lant, aliud intus cogitant.

### Sepulchrum.

Id est, nihil aliud proferunt, quàm mendacia, ma-  
ledicta, foetorem illum subinde exhalant ex ore: nam  
cadauer est intus in corde, cuius foetor per os ascen-  
dit: ut in Euangelio dicitur: Ex abundantia cordis, os  
loquitur. Item: Quomodo potestis bona loqui, cum  
sitis mali, ut sequitur.

### Ad dolum.

Id est, ad decipiendum: non solum in rebus exter-  
nis id faciunt, sed & in ijs quæ salutis sunt: uolunt  
docere uiam salutis, & docent uiam perditionis. Do-  
lum hunc optima specie tegunt, uocant enim opera  
bona, satisfactoria, interim nesciunt quid doceant,  
etiam conscientia eorum teste.

### Venenum aspidum.

Vide quomodo connectat Scripturam. Tale est il-  
lud uenenum, ut nulla medicina illud tollat.

### Sub labijs.

Scilicet



Scilicet, eorum qui perdunt animas. Videntur optima docere, cum interim seducant: optima promittunt, sed uenenum immittunt, non lac & mel.

### Execratione.

Id est, in rebus quæ Dei sunt.

### Amarulentia.

Id est, in rebus quæ ad proximum attinent. Hæc omnia est uidere in regno Papæ, ubi regnat Excommunicatio, Aggrauatio, Reaggrauatio. illa enim imperiosissime semper intonant & clamant. Nulla hic est Verbi Dei contio, præterea male loquuntur de proximo.

### Pedes.

Sunt adfectus, id est, ad hoc nituntur & curant. Pedes sunt, ut effundant sanguinem, nulla prorsus in eis est affectus. commiseratio & misericordia, ad perdendum sunt effeaces, non sanandum. Videamus id in nostris sanctis Papistis hodie, an non uelint Euangelij Prædicatores, occidi, cremari, & perdi? hanc impietatem hodie Deus per Euangelium reuelat: uerum, quia traditi sunt in reprobum sensum, id non uident, uellent illi nos perditos uno momento. Exemplum habes de Isaac & Ismaële in Galatis: non uocat hic Scriptura, uiros sanguinum, homicidas & latrones,

## COMMENT. POMER.

Christiani  
pro aduersa-  
rijs orare de-  
bent.

sed Hypocritas & huiusmodi sanctos Sathanae, quales omnes sumus à natura, nisi renascamur per Spiritum sanctum. Isaac non persequitur Ismaelem, Christiani non male precantur suis aduersarijs, sed pro eis orant. illi contra, non possunt non uelle occidere, & quanto sunt sanctiores, tanto magis id cupiunt, & tantum abest, ut se in hoc peccare putent, ut etiam se obsequium Deo præstare arbitrentur. Cum hypocrisi ergo est negocium Scripturae, non cum crassis peccatoribus, hos enim mundus iudicat.

### Contritio.

Confractio ad mentem refertur, sumptum ab ijs rebus quas conterimus.

### Calamitas in uijs

Miseria est in omnibus ijs quæ ipsi tentant, agunt, & inuentunt, nihil aliud excogitant, quàm uexationes conscientiarum, ut in regno Papæ experui sumus.

### Viam pacis.

Duplex uia. Vides duplicem esse uiam, impiorum, & piorum. Confer hæc cum præcedentibus, & intelliges quæ sit illa contritio & calamitas. Via impiorum est, qua se & alios misere perdunt. Via pacis, qua solum Deum agnoscimus, patrem, cuius misericordia pacantur nostræ conscientia.

### Non est timor.

Hæc est

Hæc est radix omnium malorum. Non timent Deum, timor hypocrisis, quid igitur facerent boni? Timent tantum, ne tollantur ab eis dignitates, census &c. ut olim Iudæi: Ne forte ueniant Romani &c. Talia omnes timemus, & non Deum, nisi per spiritum Dei eximantur. Hæc omnia ex lege naturæ nobis aperta esse deberent, nisi per impietatem obtenebratum esset insciens cor nostrum.

Scimus autem, quod quæcunq;

Alia est occupatio contra Iudæos & sanctulos, nam ubi talia legunt (quemadmodum quidam hodie, qui maxime Euangelici dici uolunt) non putant ea de se scripta esse, neq; ad se pertinere, sed oscitanter Sinistre Iudæi transeunt omnia, quasi Scriptura tantum de crassis interpretatur peccatis loquatur, manent ita in suis peccatis, iuxta tur scripturæ cor durum & poenitere nescium, quæ interim illis nõ imputantur qui resipiscunt. Itaq; Iudæi qui se populum sanctum, regale sacerdotium, in Scripturis adpellari seiebant, cum de excæcatis & reprobis legerent (nempe, quod non sit qui requirat Deum &c.) omnia ad Gentes referebant: ita interpretabantur: Non est iustus, scilicet inter Gentes, imò ne unus quidem. Quare Paulus hic eorum conscientiam tangit. Item obserua, legem hic dici totam sacram Scripturam Veteris Testamenti. Nam ex Esaiæ & Psalm. quædam citat, quæ tamen non sunt lex Mosis.

## COMMENT. POMER.

HIS. Scilicet, Iudæis.

### Qui in lege sunt.

Quasi diceret. Vos dicitis ea pertinere ad Gentes :  
Atqui Scriptura Iudæis, non Gentibus est edita, quare  
eam Iudæi, non Gentes, legunt: siquidem, non fecit ta-  
liter omni nationi. Et alibi Paulus ex Deuter. Non ali-  
ligabis os boui trituranti: non propter boues lex scri-  
pta est, sed propter nos. Sic hic quoq; , ut uides, ora-  
cula Iudæis prodita, leguntur, non Gentibus. Si igitur  
tales scripturas de Iudæis scriptas conuincimus,  
cur de Gentibus interpretabuntur? quandoquidē Gen-  
tes non negant se esse peccatores, sentiunt se abisse  
post Deos alienos, & adorasse idola, quare nō opus  
habent lege scripta. At Iudæi illa opus habent, quia  
non possunt agnoscere suam hypocrisin.

### Os obturetur.

Gentium os obturatum est, non audent mutire.  
Item Iudæorum per Scripturam.

### Totus mundus.

Non solum Gentes, sed & Iudæi, id est, ut om-  
nes coram Deo peccatores esse inueniantur.

### Omnis caro.

Hic nemo excipitur, nullus homo. At quidam in-  
ter Gentes sancte & honeste uixerunt, ut Socrates,  
Camillus, Plato. Item inter Iudæos, quidam se iustifi-  
cabant



erant operibus legis? Respondet Paulus. Totus mundus, omnis caro est in peccato. Si itaq; illi ex operibus diuinæ legis, non sunt iustificati, quid tribuemus nostris traditionibus humanis?

### In conspectu eius.

Id est, Dei. Tametsi fingant sibi aliquid iusticiæ Nihil iusticiæ coram mundo, tamen coram Deo sunt peccatores. Ope consequamur legis sunt, quæ sunt absq; adfectu cordis uoluntate nostris operibus. ubi iustificati sumus, & facti Christiani: bona opera quidem facimus, sed non tam magna & tam multa, ut per ea quidquam iusticiæ consequamur, id quod etiam fieri non potest. Itaq; nulla opera neq; ante, neq; post fidem ad salutem profunt, quia nunquam certi reddimur ex illis de nostra iusticia.

### Per legem.

Alia est occupatio. Ergo inutilis est lex? cur igitur Deus eam dedit? Simile est argumentum, Sol & Luna, item stellæ, non iustificat, ergo sunt inutiles. Vide ineptias iusticiariorum, quidquid opponat nesciunt, neq; quod stulte opponunt Christo intelligunt. Hic erit opus helleboro ineptissimis hominibus: quia bona opera non iustificat, ideo inutilia erunt? Maximū sanè erat beneficium legis: quod nobis errorem nostrum & cæcitatē indicaret, non in ea requirimus iusticiam, quā dare nequit, sed peccati reuelationem: cor nostrū

erat obtenebratum & obscuratum. Contra, lex ignis quidam, quo illabente in cor nostrum, peccatum reuelatum est, id erat in lege requirendum, & non aliud.

Nunc uero absq̃ lege iusticia.

*Vera iusticia est per solam fidem in Christum.* Hactenus primam Verbi Dei partem, nempe legem tractauit Apostolus, nunc secundam partem adgreditur, scilicet, per solam fidem in Christum esse iusticiam. At hic est Epistolæ status: & quis non summo desiderio ista scire cuperet, cum omnis iusticiam queramus, eam quæ Dei est, id est, quæ per Deum in nos uenit, non qua Deus iustus est. **MANIFESTATA.** Scilicet, per Euangelium.

Dum comprobatur.

*Doctrina Spiritus sancti, quæ?* Id est, testimonium accipit. Hæc necessario Paulus dixit, ut nobis iterum Scripturam commendaret contra novos Prophetas, qui hodie contemnunt Scripturam, & dicere audent: Quid mihi cū Veteri Testamento? Spiritu opus est, qui me omnia doceat. Recte quidem. Sed interim miseri non uident, ea quæ docet Spiritus sanctus, esse confirmata, & iam olim prædicta in Moise & Prophetis: nam quod hodie docemus, non est noua doctrina. An Christus quid aliud est, quam quod Adæ, postea Abrahamæ & patribus promissum est? Ideo dixerat Paulus, Manifestata, id est, non noua facta, uerum semper fuit, licet latuerit nos.

iusticia

Iustitia Dei per fidem Christi. *Sola iustitia*

Diligenter omnia exponit Paulus. Somniarant Iudei sibi quandam iustitiam, sed non respiciebant in mediatorem Christum, de quo erat dictum: In semine tuo benedicetur omnes gentes. Item, Semen conteret &c. Legebat illa quidem in Scripturis, at non intelligebant, credebant in Deum (ut putabant) sed non per Christum. Iohannis 14. dicit Christus, Creditis in Deum, & in me credite. Hæc quoque sapientibus nostris opponenda sunt, qui tantum ex Deo uolunt quærere iustitiam, Christum abiicientes, qui est is, per quem à Deo in nos uenit omnis iustitia.

In omnes.

Id est, quæ pertinet ad omnes, super omnes. Copla tantum est uerborum.

Non est enim distinctio.

Id est, siue Iudei sint, siue Gentes. Ecce Deus manifeste æquat illis crassos peccatores, qui in specie sunt sanctissimi. q. d. Non est Iustitarius melior coram Deo, quam latro, qui ad supplicium ducitur. At quis hominum secundum naturam, sic se potest abicere, ut dicat se non meliorem tali, qui crasso delicto infamis est. Itaque cum simus natura omnes filij iræ, eripimur per solam gratiam Christi, in regnum lucis translati. Salutis & dænamur: quicunq; damnantur, propter incredulitatem damnantur: quicunq; saluantur, propter fidem in solum se.

COMMENT. POMER.

Christum saluatur, nullo persone respectu.

Destituuntur.

Id est, ab alienati sunt à gloria Dei, carèt illa, id est, non glorificant Deum, & Iudæi & Gentes sunt per naturam impij. Quid ergo habebunt iustitiarum iustitiæ, cum careant primo præcepto? quo docetur, quomodo Deus debeat glorificari. Quomodo colent Deum, quæ non nouerunt esse suum Deum?

Iustificantur.

Et Gentes & Iudæi gratis, id est, sine operibus legis, & quid illud sit, gratis, exponit.

Per illius.

(Inquit) scilicet, Dei gratiam & fauorem, quia nobis bene uoluit propter suum Christum. Sic omnes patres sancti, iustificati sunt à mūdo condito, quia scilicet credebant in Christum uenturum (qui dilectus erat patri) quemadmodum hodie omnes iustificantur, credentes in Christum iam exhibitum mundo.

Per redemptionem.

Fauor Dei primum est, quo saluamur. Alterum, quod Christus satisfecerit pro peccatis nostris, ut uideas, quàm diligenter Apostolus exponat uocem, gratias, non omittens circūstantias, quibus depingat gratiam, Rhetorico more. Vnde est gratia? à Deo. Per quem? per Christum. Quibus contingit? credentibus sine personarum respectu. Per quid? per sanguinem Iesu



Iesu Christi. Quare? ut scilicet sic reuelaretur iustitia Dei, & nostra iniustitia, nam nihil acceptū est patri, nisi per illum, Hoc non uident Iudæi, sua opera tantum magnificiunt, quod est sectari iustitiam legis, uerum ad iustitiam non peruenire: hanc iustitiam humanam arguet Spiritus sanctus suo aduentu, ut Christus dicit, ut sic reueletur Dei iustitia, & nostra omnia damnentur, maneatq; solus Christus nostra iustitia. Sed quamuis hæc diligētur inculcentur, scilicet fauor Dei, & Christi satisfactio, remurmurat semper contra Satisfactionū scientia nostra infirma. Tamen oportet esse satisfacti humanarum onem pro peccatis, nec quiescit, nisi fuerit satisfactū origo. Hinc finxerunt satisfactiones pro peccatis, quibus uidebatur conscientie ad tempus pacificatæ, sed frustra. Nam postea non desierunt peccata mordere conscientiam. Ergo nunquam illis somnijs potuerunt conscientie certificari. Certificantur autē sola & unica Christi satisfactione & redemptione. Beati qui hæc intelligunt & credunt.

Quem. Scilicet, Christum.

Proposuit Deus reconciliatorē.

Id est, mediatorem inter Deum & homines. Ecce quid opera faciūt? Solus Christus est reconciliator, ut Solus Christus maxime sexcenties sis Cartusianus, sine hoc Christo, stus mediator nō eris Deo acceptus. Rectius tamen legeris, propicia inter Deū et torium, & erit eadem sententia, nisi quod per hoc in homines.

## COMMENT. POMER.

Sanctissimam illam figuram respicere licet, nempe in propitiatorium arcae, super quod promiserat se Deus sessurum, & exauditurum.

### Per fidem.

Id est, dum credimus in illum. Ista est solutio eius, quod impij opponunt. Si Christus est mediator & reconciliator, quare Turcae & reliqui non saluantur? Cur Turcae non saluantur. Sanguis Christi (inquit) in se non est inefficax, uerum pro omnium peccatis satisfecit, sed quod non omnes saluantur, in causa est impietas: nemini enim est utilis & salutaris sanguis Christi, nisi credentibus: qui bibunt hunc sanguinem Christi, id est, credunt pro ipsorum peccatis fusum, illi salui sunt. Sed Turcae cum id negligunt, perduntur. Vbi non est fides, ibi necessario est omnis maledictio, damnatio, & peccatum.

### Interueniente ipsius sanguine.

Hoc est, illud precium redemptionis, hic sanguis uerus, cuius figura erat sanguis uitulorum in Veteri Testamento, ut uides in uerbis Christi, cum Sacramentum hoc instituit. Sanguis ille Veteris Testamenti non auferebat peccata, uerum quicumque credebant alium, scilicet, Christi sanguinem per illum significari, illi non in sanguine uitulorum, sed Christi saluabantur, qui effundendus expectabatur.

### Ad ostensionem iustitiae suae.

Omnia sunt talia, quae non tantum non oserit ante legendam

legenda sunt, uerum summa diligentia, quasi diceret, Haftenus fuit quaedam iustitia mundo inculcata per Philosophos & Iustitarios, sed est ficta, inefficax coram Deo, ideoq; longe praecellentiore opus est, nempe Dei. Conati sunt passim Philosophi tot libris institueret rectam uitam, ut homines pij essent & iusti, uerum id non potuerunt prestare. Sic item Iudaei neglectis Dei promissionibus, tantum in externa opera oculos defigebant, quae Deus non ideo praeeperat, ut iustificarent, sed ut essent signa tantum interna fidei, & thesauri Verbi Dei in corde absconditi. Hoc est, quod Deus in Prophetis adeo damnet & execretur, etiam opera legis per ipsum instituta: exigebat fidem, non opera, Illi tamen (quia caeci sumus natura in ijs, quae Deus exigit à nobis) tantum opera spectantes, uoluntatem Dei negligebant: fuit ergo omnis illa iustitia, ficta iustitia. Ideoq; mala, quemadmodum & iudicium erat malū, ob id, quia sapientes mundi, & iusti secundum carnem Iudaei, non potuerunt dicere, se errare, opus erat, ut ueniret Spiritus sanctus, qui acutius cerneret & iudicaret, diceretq; uos Philosophi, stulte scribitis de iustitia. Vos Iudaei, caeci estis in iustitia operum. Omnis iustitia uestra, quantumuis bona in oculis uestris, est blasphemia Dei, & irrisio. Itaq; manifestata est Dei iustitia, ut humana omnis iustitia confunderetur, uidereturq; nihil aliud esse, quam stercus & pannus menstruae mulieris co-

Externa opera non iustificat.

## COMMENT. POMER.

ram Deo, quantumuis oculo carnis niteat & adblan-  
diatur.

### Propter remissionem.

Id est, ut remitterentur præterita peccata. Textus  
sic cohereat. Quem proposuit Deus reconciliatorem  
propter remissionem &c.

### Præteritorum peccatorum.

Hic ineptissime quidam de præteritis peccatis lo-  
quuntur. Sunt enim, qui se in omnes formas uertunt  
calumniandi scripturam, etiam contra conscientiam.  
Alij dicunt, Christus pro omnibus peccatis ante illum  
factis, satisfecit. Alij ea tantum, quæ erant ante baptis-  
mum in nobis, expiauit sua passione. Cætera uero post  
baptismum facta, nobis per nostra bona opera reliquit  
abstergenda. O impias nugæ, hoc est, scedare huma-  
no stercore Christi faciem, & dicere Scripturæ men-  
daciem. Verum, non sunt alia peccata nisi præterita,  
quæ remittantur. Id quod uel ratio uidere potest. Cu-  
ius tu crassum accipe exemplum. Si mihi centum au-  
reos deberes, & non esses soluendo, remitto igitur  
tibi debitum. Dic queso, an non tibi præteritum debi-  
tum remittam? non profecto futurum, hoc inquam di-  
mitto, quod mihi debes, non hoc quod nondum debes.  
Ita Deus quæ alia peccata remitteret, quàm præteri-  
ta, & quæ habes? Hinc oramus: Dimitte nobis de-  
bita nostra, scilicet, quæ iam nos premunt, nunquam  
sumus



sumus sine peccatis, ideo semper oramus, ut dimit-  
tantur. Sed aduerte & hic stultissimam stultitiam Pa-  
pisticam, quæ primum nostris temporibus inualuit,  
olim non ita ineptiebant, ut de futuris peccatis indul-  
gentias promitterent, id quod hodie faciunt Papistæ,  
dant bullas & diplomata, quibus à futuris absoluant  
peccatis. O homines impudentissimos, qui quid affir-  
ment nesciunt. Deus solus remittit peccata, ideo ut nō  
pecces, nō ut porrò pecces. Quæ enim hæc esset re-  
missio? uolo liber esse à peccatis, & tamen manere in  
peccatis. Ut stulte fecerit is, qui uehementer cupiat è  
carcere liberari, & tamen manere in carcere. Sic is  
quoq; extreme insanie accusandus, qui in hoc bullas ac-  
ceperit. Deus, quia fragilis es, tibi semper remittit pec-  
catum, modo tibi displiceat peccatum.

Bulle p futu-  
ris peccatis.

### Quæ Deus tolerauit.

Non statim uindicauit, quia erat nos olim purgatu-  
rus sanguine Christi. Inuitauit nos ad resipiscentiam,  
cap. 2. Sed quare?

### Ad ostendendam.

Id est, ut palam faceret mundo suam iustitiam. Hic  
iterum posset oggannire caro, Ergo peccabimus? sed  
habet suam solutionē supra, quorum damnatio iusta  
est: non solū autem tolerauit Deus, sed remisit quoq;  
ut palam fieret, quod ex sola eius misericordia salue-  
mur, quæ, inquam, iam per Euangelium prædicatum,

Misericordia  
reuelatur p  
Euangelium.

## COMMENT. POMER.

ostensa est, & olim descripta in Hiere. 31. Peccatoris eorum amplius non recordabor. Hæc iustitia non solum à lege & Prophetis habet testimonium, uerum et à cordibus nostris, in quibus spiritus Dei illud testatur, etiam nolentibus nobis.

### In præsentī.

Scilicet, tempore gratiæ, & reuelati Euangelij.

### Vt ipse sit iustus.

Est enim ipse fons iustitiæ ueræ, immò ipsissima iustitia, ipse solus iustus erat, cum omnes essemus damnati. Quare intellige, ut sit iustus, id est, declaretur esse iustus, secundum illud: Vt iustificeris, id est, iustus declareris hominibus.

### Iustificans eum.

Ex hoc siquidem fonte omnes haurimus iustitiã, iuxta dictũ Esa. 12. Haurietis aquã de fontibus saluatoris.

### Eum qui est.

Id est, qui credit in Christum: est Paulina phrasis.

### Vbi igitur gloriatio.

Hic omnino carnem confundit, aufert enim omnem gloriam, cum à Gentibus, tum à Iudæis, non potest iam gloriari Ethnicus de sua ciuili iustitia, neq; Iudæus de operibus legis, nihil in te inuenies, quo te prepares ad gratiam, ut illi somniarunt. Ideo respondet Paulus.

## Exclusa est.

Id est, nulla est, siue huc, siue illuc respicias.

## Per quam legem.

Id est, quo iure est exclusa. OPERVM.

Id est, quia tu opera quaedam sectaris, quæ Deus in lege præcepit.

## Per legem fidei.

Improprie sic dicit Apostolus, id est, per spiritum, quo credimus in Iesum Christum. Sicut iusticiarij se adstringunt ad sua opera, sic pij ad fidem in Christum. Sola enim fides efficit, ut possimus gloriari de Deo, non nostra opera. Hæc facit me esse unum cum eo, omnia ex illo accipio, ergo ego nihil habeo de quo gloriari, hoc hypocritæ non uident neq; possunt.

## Arbitramur.

Nos dicimus, quia ante probauimus & Gentes & Iudeos esse peccatores, idq; etiam teste Scriptura. Item intulimus, neminem saluari, nisi per iustitiam Dei in Christum. Cōcludimus iam, nostra opera nihil esse coram Deo, sed ipsum tantum fidem cordium respicere. Cuius exemplum habemus, latronem in cruce, qui cum socio suo etiam blasphemus erat, tamen paulo post cognouit peccatum suum, nihil fecit bonorū operum, immò ne potuit quidē, cum manibus & pedibus suffixus penderet. Sed dixit tantū: Memēto mei &c. quæ sunt uerba fidei admiranda. Et sicut ille est saluatus.

tus, sic nos saluari oportet. Hic non fuit opus, facere bona opera, per quæ impetraret salutem, cum iam fide saluatus esset, quod Verba Christi, ipsi respondentis testantur.

### An Iudæorum.

Non est Deus tantum Iudæorum, qui uolunt gloriari de lege. illa ipsa opera legis sunt peccata, quæ propter, iustificabit & gentes et Iudæos gratis Deus, cum omnes natura sint filij ire.

### Circumcisionem.

Id est, Iudæos ex fide, & non ex operibus legis.

### Legem igitur.

Lex fide impletur.

Occupatio est. Tu Paule abijcis legem Dei? Respondet: Non abijcio, immo stabilio eam, & doceo, quomodo ea sit adimplenda. Non enim operibus, sed fide adimpletur. Lex dicit: Dilige Deum. Verum, hoc nemo potest secundum naturam, ergo lex inutiliter docetur, si non prædicetur fides, unde discemus agnoscere nostram impossibilitatem. Per fidem Deus largitur suum spiritum, qui diffusus in corda nostra, suppeditat nobis uires, ut ultro faciamus legem, nemo enim satis diligit sine spiritu fidei, quare frustra lex prædicatur & inculcatur. Hoc si nostri uidissent, non tantam carnificinam bonorum operum, & sancte et religiose uiuendi in monasterijs instituisent.



## CAP. III.

**H**ic diligenter lector superiora obseruet, ne Pauli ordine negligenter animaduerso, & sequentia nō capiat. Confirmationis hic locus est, nam propositionem, scilicet, solam fidē in Christū iustificare, hinc munū certis argumentis, quæ ordine uidebimus.

## Quid igitur?

Iudæi & Iustitiarij audientes, ex fide tantum nos iustificari, obijciunt: Num bona opera sunt, certe Abraham pater noster bona opera fecit, putas illa Deum non respexisse? His Paulus respondet septem argumentis, quæ & in plura discerpi possent, in quibus uidebis clarius proprietatem & circumstantias fidei & operum per collationem.

## Nam si Abraham.

Primum est argumentum, Abraham ex fide iustificatus est, non ex operibus, ergo & nos ex fide iustificamur, non ex operibus, nam est omnino par ratio, ne mo aliter iustificatur. Hoc erat necesse Iudæis probare, qui de lege digladiabantur.

Argumenta  
iustificatiōis.

## Habet quod glorietur.

Quasi aliquid meruerit, ueluti mercenarius quispiam gloriatur de suo præmio. Itaq; si ex operibus est iustificatus, certū est illam iustitiam tantū humanā fuisse, quia opera erant humana, gloriabitur igitur de

est iusticia tantum coram hominibus, non coram Deo.

### Credidit Abraham.

Fuit homo peccator ut nos, & iustificatus est, non quia non peccauerit, aut quòd satisfecerit pro peccatis, sed quia crediderit promittenti Deo.

### Qui operatur.

Qui opus aliquod facit, mercedem à me accipit, Non dici potest, quòd illi à me gratia contingat, sed quia operatus est, do mercedem debitam.

### Qui iustificat.

Periphrasis est Dei, id est, propterea is est iustus, quia credit iustificanti Deo, ut uideas solam gratiã et misericordiã, meritũ omnino excluditur: nec est ullũ, si tamen aliquod fingitur, non saluamur ex gratia. Id quod est primum argumentum, nos fide iustificari.

### Quemadmodũ & Dauid.

Secũdũ est argumentũ. Iusticia est per imputationẽ.

### Beatificationem hominis.

Id est, qua homo fit iustus & beatus.

### Cui Deus.

Dicit hunc beatum, quem Deus iustificat, non qui facit bona opera. Acceptat nos pro iustis, tametsi secundum naturam simus iniusti: sicut ei dono debitum, qui non est soluendo, is iam liber est à debito, nõ quia soluerit, sed quia solutionem imputo, alioqui si non imputassem,

putassem, mansisset debitor. Sic non ex nobis, sed ex Deo iusti sumus. Audis ergo hic solum gratiam.

### Obteſta ſunt.

Scilicet à Deo. Non dicit, qui non habent. Deus nō imputat peccatum, sed iuſticiam, ut eſt in Hiere. Et peccatorum eorum non memor ero amplius.

### Dicimus.

Scilicet ex ſcriptura, non ego. Tertium eſt argumentum. Abraham ante circuncionem eſt iuſtificatus, ergo & nos ante omnia opera iuſtificamur.

Circuncifio primum eſt opus legis, ſine quo reliqua commode fieri nequeunt, qualis & apud nos eſt baptiſmus. Præterea eſt tātum ſignaculum iuſtitie (nō ipſa iuſtitia) quæ eſt per fidem. Vide quæ in Geneſi de ijs dicuntur, ubi non pauci anni interceſſerunt inter hanc hitoriam fidei, & inter circuncionem. Nam priuſquàm Isaac ex Sara, & Iſmaëlem ex Agar ſuſciperet, de ipſo dixerat ſcriptura. Credidit Abraham, & reputatum eſt c. Ideoq; cum circuncifio primum ſit opus legis, & tamen ante eam iuſtificatus ſit Abraham, quid eſt, in quo hæreamus? Ex hoc loco patet deprehendere errorem Iacobi Epiftole, in qua impium uides argumentū, præterquàm quòd ridiculæ colligit. Citat ſcripturam contra ſcripturam, quod Spiritus ſanctus ferre nequit, non poteſt igitur reliquis adnumerari libris, qui iuſticiam fidei prædicant. Epifto-

COMMENT. POMER.

la ad Hebræos, longe dignius tractat hæc exempla

Non in circuncisione.

Sententia est, ista beatificatio, qua Deus iustificat, non solum ad Iudeos pertinet, sed ad Gentes, immo maxime ad Gentes, quia Abraham fuit iustificatus in præputio, non in circuncisione. Itaque propter fidem in Dei promissionem, non propter opera est iustificatus. Hæc constantissime semper opponenda sunt iusticiarijs Papisticis, ut confundantur cum suis traditionibus: nam si non est iustitia ulla ex operibus diuinæ legis, ut evidentissime Paulus probat, multo minus ex traditionibus humanis.

Et signum.

Occupatio est, Ad quid ergo erat utilis circuncisio Abrahamæ, si ex ea non fuit iustificatus? habes hic in-  
 Signorã usus signem locum, de signis externis, quales fuerunt ferè  
 olim omnes ceremoniæ Iudeorum, & hodie nostra sacramenta, quæ non iustificant per se, sicut nec uerbum  
 externe auditum per se, sed sunt certissima signa internæ iustitiæ. Sic Abraham accepit signum illud externum in præcisione pelliculæ suæ, in signum illius internæ iustitiæ, quam intus habebat in corde. Significabatur ipsi Abraham tantum illo signo iustitia uera, sed per se non erat iustitia. Item, per illud agnoscebatur populus Dei. Verum quia huiusmodi signa sæpe fallere possunt, fit ut hypocritas plerumque faciant. Sed tunc signa dicuntur



dici possunt, non autem signa Dei. Quamquam nec signa quidem uere sunt, si nihil intus sit, quod uere significent, ut uideamus Sacramenta Dei idem efficere, quod uerbum externum, loquuntur enim nobis, quasi Verbum Dei, testificantia bonam uoluntatem Dei erga nos, ut non dicam, quod sine Verbo Dei nihil essent: fide susceptum Verbum Dei iustificat, & fide suscepta Sacramenta iustificant. Nam fide iustificamur, fides autem est ex auditu, auditus autem per Verbum Dei. Sunt itaque Sacramenta sigilla & signa & pactum, inter nos peccatores & beneuolentem Deum, ex manu enim eius ea accipimus. Secundario autem per talia significamus alijs, ut nos pro fidelibus habeant. Signum & pactum inter me et Deum (si pro tali hoc habeam) non me fallit: Signum autem coram hominibus tantum, sepe fallit, & hypocrisis est. Sic ubi peccata mordent nostras conscientias, sacramentum Eucharistiæ accipimus, ut certificemus eas de remissione peccatorum, quæ tantum est ex fide in Christum. Ex qua tandem fide, fluunt bona opera, quibus etiam me ipsum de mea fide certifico. Nam aliàs ea non facerem, nisi ad talia Spiritus sanctus me impelleret.

Sacramentum  
cur accipien-  
dum.

### Quæ fuerat in præputio.

Hic habes quoque locum, contra quem noui spiritus ne mutire quidem audent, pro paruulis, quos baptisamus hodie. Deus mādarat, ut octauo die masculus

COMMENT. POMER.

circuncideretur, at circuncisio ex sese non erat fides  
 Locus contra aut iustitia, sed signum, quo significabatur fides intus  
 novos spiri = esse. Si itaq; fidem rationi humanae acceptam refers,  
 tus, de baptis que tamen donum Dei est, dic mihi quomodo paruuli  
 mo paruulo = habuerint rationem, qui accipiebant circuncisionem  
 rum. signum internae iustitiae? hos profecto Deus censebat  
 in suum populum, cum diceret: Masculus cuius praepu-  
 putium non fuerit circuncisum, eius anima peribit ex  
 populo suo. Ita & nostri paruuli, rationem non habent,  
 tamen baptisantur, & signum accipiunt fidei. Deus  
 haec omnia facit sua gratia, noli haec metiri tua ratio-  
 ne. Nos offerimus Deo paruulos & animas paruulo-  
 rum, non porcos, pro quibus paruulis, sanguis Christi  
 effusus est. Noli igitur contra gratiam disputare, Chri-  
 stus uult ad se uenire paruulos, & dicit, illorum est re-  
 gnum caelorum. Garriant interim illi quicquid uelint,  
 nos credemus, non inquiramus ratione humana.

Credientium.

Id est, pater est omnium, qui credunt diuinis pro-  
 missionibus.

Iis qui.

Exponit se, est pater credentium Iudaeorum &  
 Gentium. Abraham enim non est pater Iudaeorum co-  
 ram Deo, propter circuncisionem, neq; Gentium pro-  
 pter praeputium, sed utrorumq; propter fidem.

Quae.

Scilicet

Scilicet, fides fuit in Abraham, antequam circumcidetur. Est ergo fidei pater, non operum legis.

## Non enim per legem

Hoc argumento & pluribus, utitur in Galatis, Abraham iustificatus est ex promissione, & non ex lege. Quia sic scriptum est, ubi audierat Abraham Dei promissionem, credidit &c. Promissio uera ea erat de hereditate, quam tantum per iustitiam fidei obtinuit, ergo non ex lege, sed fide factus est hæres mundi. Proinde, ut maxime, non statim possederit terram Canaan tamen in Christo, semine ipsi promisso, factus est eius terræ, imò totius mundi possessor & dominus. De hoc uide Esaiæ .40. Paulum ad Timotheum. Psalm. Omnia subiecisti pedibus eius. Vbi obseruandum, omnia Christo & suis, id est, credentibus subiecta: impiorum nihil est, terram per iniuriam occupant, de qua & perditur, omni creatura abutuntur, sunt fures & latrones, in terra hac promissionis, cum ea nulla bona conscientia utantur. Horrendum itaq; illud est audire. Taceant hic & obmutescant, quicumq; se dominos & imperatores iactant terræ, cum tamen ne aura uitalis sit eorū, nam in peccato Adæ omnia perdiderunt, ius & potestatem in creaturas amiserunt, neq; quicquam illius per Christum recuperarunt, imò ne uolunt quidē recuperare. Hæc cum stulti audiunt, iudicant se non debere potestati seculari subesse, contra uoluntatem Dei, adeo

III. Argumentum.

Impij.

COMMENT. POMER.

non possunt intelligere libertatem, quæ est in Christo, somniantes sibi quandam carnalem, in perditione ipsorum. Certum est igitur, quod promissio Abrahamæ facta sit ante legem, quæ tandem post. 400. annos est lata. Oculos nostræ tēpestatis homines, qui hoc nō uident.

Illum.

Scilicet, Abraham, id quod in Christo factum est, in quem uenturum credit Abraham.

Sed per iusticiam.

Id est, quia credidit Deo, factus est filius Dei, & hæres mundi per Christum.

Etenim si nō qui.

V. Argumen-  
tum.

Hoc argumentum ex superioribus pendet. Si iusticia est ex dei promissione, qui uult, ut hoc suscipiamus corde quod promisit, tã nō est ex uobis, idq; indicat adpellatio, dicitur enim Dei iusticia, nō nostra: ad nos uenit, non quod iusticiã ullam esset inuenturus in nobis, sed quod suam, id est, Dei iusticiam, nobis largiretur. Omnes enim peccauimus &c. Promisit, quia non habebamus, non autem uane promisit: quomodo promitteret id, quod antea haberemus: Sumus inanes & uani cui, nihil habemus iusticiæ: habebimus uero, quia ipse promisit, si promittenti crediderimus.

Ad legem.

Id est, qui uolunt per opera legis iustificari.

Fides.



Fides.

Scilicet, qua credimus.

Promissio.

Qua Deus nobis iustitiam promittit: sequeretur enim Deū esse mendacem, imò & stultum si promitteret & dare uellet eam iusticiā, quam ante haberemus, Est autem locus argumenti, ex absurdo desumptus.

Nam lex iram.

Item probat, fieri non posse, ut per legem iustificemur, tantū abest, ut uel ullo modo nos Deo conciliare possit. Imò ubi suū officium in nobis executā fuerit ipsa, terret conscientias nostras, & excitat in nobis irā & indignationem contra Deum, uellemus tum in eo horrore & terrore, legē non esse, imò ipsum Deū nō esse Deū. Est hoc honorare Deum & seruare legē? facit ea, ut uideamus nostri damnationē, ubi hoc fit, fieri nō potest, ut natura non irascatur & murmurat insolentissime contra Deū. Sic fit, ut grauius fiat peccatū per legē, puocat nos cōtra Deū, quod in septimo Cap. de claratur. Maximus & supbissimus sit hypocrita necesse est, q̄ hoc in corde suo nō uidet. Lex ergo magis aggrauat cōscientiā nostrā, quā liberet uel iustificet.

VI. Argumentum.

Legis opus.

Siquidem.

Non dicit, ibi nec est peccatum, quod diligenter obserua ut maxime nō transgrediaris legē externe, tamē

COMMENT. POMER.

peccato non cares. Ante legis reuelationem, nec peccatum, nec transgressionem uidemus. Qui per ignorantiam peccant, tamen si non careant peccato, carent tamen transgressionem, quam non uident. Putant enim se bonos & iustos esse uiros, coram Deo tamen sunt transgressores legis, id est, ipsam non implent ex corde, ut maxime coram mundo non accusentur impietatis. Ergo transgressio ad agnoscentes peccatū pertinet, nō ad eos qui ignorant, sic Paulus dicit, Vbi lex uenit, mortuus sum.

Idcirco ex fide.

VII. Argumentum.

Irala Deo conscientia, non glorificat Deum, postquam se uidet abijci reuelato peccato. Nam in inferno quis confitebitur tibi? &c. Ita augetur peccatum & fit manifesta transgressio. Si itaq; iustitia esset ex operibus, nemo posset pacare conscientiam suam. At quia Deus gratis dat, non possumus esse incerti de iustitia nostra, unde & conscientia tranquilla fit. Vehemens est hoc argumentum, nemo illud contemnat.

Vt secundum gratiam

id est, gratis sit. Ad quid?

Vt firma sit promissio uniuerso semini.

id est, nobis omnibus, ne quis nostrum dubitet de sua salute. Nā cum in manu Dei est, certi de ea sumus. Si autem in nostra esset, essemus miserrimæ creaturæ, siquidem

siquidem de ea nunquam essemus certi. Quod contra illos est, qui dicunt nos non debere esse certos de salute, quo nihil aliud uolunt, quam non esse credendum, ac ita perierit planè omnis spes salutis. At nemo scit ex operibus legis, quando legi satis fecerit, quia ijs nõ pacatur conscientia, id quod tamen tyrannis Papistica uult, ne ergo quid dubitemus in promissione, Deus gratis promisit.

Certi sumus  
de salute.

Non ei.

Scilicet, Iudæo semini carnali.

Quod est ex fide.

Id est, siue illud sit Iudæicum, siue Gentile.

Sicut scriptum est.

Hic amplificat per circumstantias Abrahamæ fidem, qui non in corpus suum, nec in emortuam uulnam Saræ, sed in Dei promissionem respexit. Mira hæc fides, ubi nihil erat sperandū, ibi spem habebat firmissimā. Ideoq; fidei est filius Isaac, non carnis.

Multarum Gentium.

Ne soli Iudæi glorientur se filios Abrahamæ esse, qui quoq; sunt ex Gentili sanguine, quemadmodum iudes eos in Ezechie. 16. accusari. Mater tua Cethea &c. Sunt ergo & Gentes filij Abrahamæ, quod non nisi per fidem fit, nam secundum carnem tantum Iudæos habet filios. Quotquot ergo æmulantur fidem Abrahamæ, siue

Filij Abrahamæ.

## COMMENT. POMER.

post Abraham fuerint, filij sunt eius. Constitutus est pater à Deo multarum Gentium, id quod secundum spiritum intelligitur. Vide quæ in Esaia. 41. de posteritate Abrahamæ scribantur.

### Ad exemplum.

Coram Deo erat transferendum, Erasmus sic intellexit: quemadmodum Deus est communis pater omnium, ita & Abrahamum communem omnium patrem constituit. Verum licet hæc nō mala, tamen alia est sententia hoc loco. Constitui te coram Deo patrem, id est in regno inuisibili uel spirituali, quod est regnum fidei in quo tantū Deus est rex. Estq; simplex quædā Occupatiūcula, ne quis dicat: Quomodo est pater Gentium? Respondet: Non secundum carnem, sed per spiritum uel fidem est eorum pater.

QVI VITAE. Vel ad uitam.

### Vocat.

Scilicet ad se, ut adpareant. Nemo negat solum Deum suscitare eos, qui mortui sunt. Similiter uocauit omnes creaturas, cum diceret: Fiat lux &c. Vocauit inquam, cum nō essent, quasi fuissent, ut adsisterent & obedirent uocanti Deo. At Paulus hic longius respexit. Commendat enim nobis gratiam, quod Deus eos, id est, Gentes qui perierant, fecit filios Abrahamæ, quod item uidemus in historia Lu. 15. de filio perduto nobis significari, quem pater iam mortuū putabat. Mortue erant

Gentium uocatio.



erant Gentes, id est, ad idololatriã defecerant, ut taceã de peccato Adã. Deus tamen resuscitauit eas, & reuocauit ad uerum cultum, in quo facti sunt filij Abrahã. Nemini igitur desperandum est, & si omnia desperata uideantur. Suscitauit Deus mortuos, & quæ non sunt, uocat tanquam sint. Hoc facit Verbo suo, filij sumus Dei per Verbum, domini omnium creaturarum per Verbũ, coheredes Christi per Verbum, atq; adeo nihil est, quod uirtute illius nobis non impertiat. Lapidés eramus, iam autẽ, ut Iohannes dixit, filij Dei ex lapidibus. Hæc tam insignis gratiæ commendatio, omnes uires, omne Liberum Arb. nostrum tollit. Quid enĩ potest mortuus, qui nihil est? Quid emortua uulua? quid Isaac Immolãdus? quæ omnia uides in historia Abrahã. Fides est, quæ concepit & peperit Isaac, fides immolabat illũ, ex quo erat posteritas promissa propaganda. Pudeat nos nostræ impietatis, qui tam aperta habemus exempla fidei.

Liber. Arb.

### Qui præter spem.

Hæc est fidei natura, unde & finitio haberi potest certissima, credere in spe, præter spem, tam cõstanter nos credere oportet, cõtra omnem naturæ sensum, ita ut si Deus ignem frigidum dicat esse, credam sine controuersia, tamen si secundum naturam sit impossibile. Muliebria sustinere Sara nõ potuit, tamen præter spẽ, Abraham credidit se ex ea suscepturum Isaac.

Sicerit semen.

*id est, innumerabile, ut stellæ cœli,*

Non infirmatus.

*Sed constanter credens.*

Emortuam uulnam.

*Desierant iam illi menstrua fluere, id quod magis mirandum est, quàm Abraham senectus.*

Ob incredulitatem.

*Scilicet, quam non habebat.*

Non hæsitabat.

*Non disceptabat secum in animo, forte ita est, forte non est, sicut nostra conscientia, uerbo non firmata. Ah hoc est peccatum, hoc non est peccatum, non potest esse disceptatio, ubi radicem fixit promissio.*

Tribuens gloriam.

*Credere omni uerbo Dei, est dare gloriam Deo, ut maxime id sit contra omnem sensum naturæ. Noli enim est apud Deum impossibile omne Verbum, ut ait Angelus in Luca ad Mariam. Hanc ergo solam gloriam à nobis exigit, & præter eam nihil. Quare in nullis tribulationibus & angustijs est nobis desperandum, neq; in tentationibus spiritualibus, neq; in peccatis. Esto, nobis omnia adpareant graua & horrenda, demus gloriam Deo, quod uerax sit, quod promiserit remissionem peccatorum. Noli, queso, O homo*

*Fidei uis &  
amplitudo.*

tua peccata maiora facere, diuinis promissionibus, alioquin eum mendacij argues, & desperabis ut Iudas, ut maxime sis scortator, homicida &c. Vide ne peius pecces desperando, quando tibi reuelatur peccatum. Deus tibi peccatum non imputabit, modo ipsum ueracem esse credas. Quod tamen interim Sathan tibi non permittit, facit peccata esse multo maiora Dei promissionibus. Hic erit fortiter consistendum, & cum hoc hoste congregiendum: ut de ut illius conteras robur. Quod tum fiet, si præter omnem spem, præter omnem sensum credas Deo, qui te eripiet ex inferno suo tempore, non sinet te absorberi undis aquarum, tibi immentium. Sic in omni necessitate externa, etiam penuria uentris sentias oportet. Est omnipotens Deus per suum Verbum, quicquid promittit, hoc præstat, modo nos clamare ex corde possemus: Dimitte nobis debita &c. Sed quo minus hanc gloriam resignemus Deo, nos remouatur caro.

### Certa persuasione.

Contra eos hoc dictum est, qui dicunt nos non certos esse posse de nostra salute, satis esse bonam intentionem, quæ tamen nulla est coram Deo. Petri intentio bona erat, cum diceret: Si oportuerit me mori tecum, non te negabo. Non equidem in ullo quod nostrum est, neque in bona nostra intentione consistit nostra salus, sed in Dei promissione. In hac sit nostra

Bona intentio

## COMMENT. POMER.

intentio & certitudo, hanc à nobis requirit gloriam, potens est eam præstare. Non indigebis, ut intercessoribus utaris, Georgio, Christophoro, Barbara, aut diua Catharina. QVAPROPTER. Id est, quia dedit hunc honorem ueritatis Deo.

### Non scriptum est.

Hic inculcat diligenter nobis, quod omnia (quod ad iustificationem tantum attinet) de Abraham dicta, etiã de nobis dicantur. Nō dicit de operibus Abraham, sed iustificatione, qua per Christum est iustificatus, ne quis diceret, ut infirmæ solent conscientiæ, Hoc de Abraham scribitur, ad me nihil attinet. De omnibus dicitur: Beatus utriusque, cui non imputauit Dominus peccatum, non tantum de Abraham. Est igitur par ratio iustificandi ex fide, omnium & Abraham. Itaque omnes ex fide, sine operibus iustificabimur.

### Illi.

Scilicet, ad iustitiam quod credidit. QVIBVS.  
Scilicet nobis. IMPVTABITVR. Scilicet, ad  
iustitiam. IN EVM. Scilicet Deum patrem.

### Qui excitauit.

His concludit, Christum esse mediatorem, & iusticiam nostram per fidem.

### Traditus.



Nam non pepercit ei Deus, tradidit illum, ut satisfaceret pro peccatis nostris.

### Excitatus.

Scilicet, ut nos maneremus in iustitia & nouitate uitæ. Quidam hic differentiam suspiciantur, quod non dicit, excitatus est propter peccata nostra, seu remissionem peccatorum. Scriptura sic loqui solet: Estq; eadem sententia. Sæpe tantum de morte loquitur, & tacet resurrectionem, nos tamen eam intelligimus, & rursus resurrectionem prædicat, ubi nos & mortem eius intelligimus. Alterum ex altero intelligitur. Qui enim liberaret nos à morte, si ipse non resurgeret? aut qui resurgeret, si non mortuus fuisset? Ideo mortuus est propter peccata nostra, ut excitaretur in nostri iustificationem. Itaq; hætenus uidimus comprobatum scripturis & testimonijs ex lege, Christum solum esse nostram iusticiam, nos uero natura damnatos, & filios iræ.

## CAP. V.

**P**refatur ab initio Caputis, in totum Caput, dicens, iustificati per fidem, pacem habemus. Visa est autem hætenus Epistola difficilis, quo & multi terrebantur, uerum si ordo eius obseruatus fuerit, nihil inerit difficultatis. In superioribus docuit, tantum ex fide esse iusticiam, nunc consequitur, ex ea fide,

C O M M E N T. P O M E R.

nostras conscientias habere pacem erga Deum, & præter id in hoc Capite nihil est. Hunc fructum fidei si obseruaueris in hoc cap. nõ uidebuntur tibi uaria hic tractari. Et ut rem totam compendio tractemus, uisum est quædam præfari. Nõne omnes iusticiam quærimus & per opera, & alia quædam, in hoc, ut habeamus pacem erga Deum? Hac uia omnes incedimus, & olim quando uiuebamus in iusticijs nostris, confitebamur, ieiunabamus, non ob aliud, nisi ut auferrentur peccata nostra, & cõscientiæ nostræ pacificarentur. Sed idem accidit nobis, quod Israëlitis, ut Cap. nono uides, qui sectantes iusticiam, ad eam non peruenerunt. Putabamus & nos ex operibus nobis futuram iusticiam, uerum decepti sumus: nihil est, ut hic singas Liber. Arb. iusticiam operum, nõ consequeris pacem conscientiæ, ad tempus falli potes, ad tempus item fingere potes sanctitatem & pacem, sed redeunte conscientia peccati, ubi est tua pax & sanctitas ficta? Rediit planè eadẽ turbatio & inquietudo cõscientiæ, quam antea senseras, dixeras & somniaueras tibi pacẽ, sed tũ uides nõ esse pacẽ, quia nõ est pax impijs (quales sunt oēs qui iusticiã tribuunt operibus, & nõ fidei in Christũ) Est itaq; insignis cõmendatio, iusticiæ fidei in hoc loco. q. d. Paulus. Experire & quære inuenies pacem, quicumq; credis Christũ satisfecisse pro peccatis tuis. Habes magistrã ipsã experientiam in corde tuo, quæ te conuincit, iusticiam esse

ex fide

Fidei iustitia.

ex fide, etiam renitente ratione tua & carne, cogaris fateri, & dicere, ita se res habet. Quid hic pluribus testibus eges? noster spiritus spiritui Dei dat testimonium, quòd non sit alia iusticia, qua pacem habet conscientia, quàm fidei, ubi sentimus & credimus peccatorum remissionem per Christum. Iam conscientia exultat & in conspectum Dei, multa securitate carmen triumphale canit, hoc scilicet: Christus est mea iustitia, mea fortitudo, deleuit chirographum peccati, uicū Sathanam principem inferorum, iam nihil est quod timeam, omnes hostes & aduersarij mei, sunt uelut stipula, quæ statim absumatur igni, & uelut puluis, quem dispergit uentus. Non potest quisquàm uerbis consequi, quanta hæc sint gaudia, quanta prædicatio huius pacis in conscientia, quæ uidit & sensit remissionem peccatorum. Experiatur aliquis, in omnibus alijs, ex quibus sperat caro salutem, num possit habere pacem hanc & læticiam conscientia, ex illis: nunquam profecto certus esse potuerit, de paterna erga se Dei uoluntate. Itaq; uides hic describi nobilissimos fidei fructus, qui non corrumpi, nec interire possunt. Primo, quòd certus es de gloria Dei, unde & pacem habes. Secundo, ut nequeas à spe excidere in aduersis, quantumuis sint horrenda, neq; mors, neque peccatum te prosternet. Eris enim petra fortissima. Tertio, ut ne quid dubites de gratia (quasi indignus sis) nam indignis, non dignis & sanctis datur, quia

Fidei fructus

COMMENT. POMER.

Christus nos dilexit, cum essemus impij. Quarto conscientia nostra est certa, ut dicat, maiorem esse gratiam per Christum, quam peccatum ex Adam in nos propagatū. Si igitur tam magna est condēnatio propter Adam, maiorem scias esse gratiā Dei per Christū. Atq; hæc est collatio, cōsolatiōis plena, Adæ & Christi. Reliqua uide in uerbis Pauli.

Iustificati.

Id est, ubi consecuti sumus remissionem peccatorū per fidem, conscientia nostræ pacem habent: nam nullum peccatum iam nos turbat. Habemus legendum, non habeamus. In hoc loco lapsi sunt Columnæ ecclesie, ut putabantur, Origenes & ceteri, qui dicebant, quædam moralia hic docere Paulum. Hoc admoneo ne simus ingrati Deo, pro sua gratia, quam hodie nobis in suo Euangelio dedit. Nā uel pueri hodie id certant, imò in plateis clamant. quod tanti Doctores uiderant. Non loquitur Apostolus, de Ciuili quadam pace inter homines, sed de pace erga Deum, quam homines non uident, & qua solæ cōscientiæ adstrictæ fruuntur, ut non timeant Deum iudicem, sed sciant ipsum esse patrem. Hunc fructum fidei ubi habemus, statim sequuntur bona opera.

Per Christum.

Sine hoc mediatore Christo, nihil nobis donatur à Deo. CONTIGIT. Id est nobis datum est.

In gratiam



In gratiam hanc. Id est, hoc interpellatore in fauorē patris restituti sumus, ipse adduxit nos ad patrem, in cuius conspectū antea, quia filij iræ, non eramus ausi prodire, & hoc uerum esse scimus & credimus. Itaq; non est iudex, sed pater.

In qua.

Scilicet, Dei gratia & fauore, scimus quod Deus nobis bene uelit.

Stamus.

Id est, nunc regnamus, & sumus reges, quibus omnia subiecta sunt, cum antea iaceremus prostrati in terram, non audentes adspicere in cœlum, imò detenti eramus in carcere, ubi perpetua erat seruitus & calamitas.

Gloriamur.

Verbum est certitudinis, nam nemo gloriatur, nisi de eare, de qua certus est.

Sub spe gloriæ.

Quomodo inquit gloriatur? sub spe? id est, quicquid iam habemus uitæ æternæ, aut gloriæ, id habemus in spe. Certi sumus, quod Deus nos glorificabit. Sumus enim sancti & filij Dei. Huc refert quæ in Octauo dicuntur de expectatione creaturarū. Item. 1. Iohan. 3. Nunc sumus filij Dei, inquit, & nondum

apparuit, quod futuri sumus &c. Iam contempti sumus apud omnes, item apud nosmetipsos, quia uideamus peccata nostra. Sed interim tamen salui sumus per spem. q. d. Res quidem, id est, uita aeterna iam adest, sed nondum uidetur, nōdum est reuelata, Corpus hoc mortale, cum immortalitatem induerit, uidebitur, id quod hodie speramus, ut in Philip. 3. Glorificabit hoc corpus humile.

Nec id solum.

Id est non solum gloriamur in spe gloriae futurae, & quod simus filij Dei reuelandi: sed etiam certi sumus per illam pacem fidei, in cordibus nostris, quod nec quaecunq; tentatio, non mors, nullum periculum possit nos superare: in tantum exundat illa pax in cordibus nostris, ut aduersitates & tribulationes, alant ac fortiozem reddant eam. Sicut Christi crux & mors uita est & fortitudo.

Christi mors  
uita est.

De afflictionibus.

Gloriamur de cruce, quam Deus nobis proposuit (non de nostris bonis operibus) nā omnibus qui pie uolūt uiuere in Christo, nō deerit crux: sicut quando Sathan tētabit auferre ex corde pmissiōes Dei, quādo sentiemus fidei fragilitatē, & peccatorū onus, iacebimus oppressi, & uidebimus, q̄ ex nobis nihil sumus.

Scientia quod afflictio.

Gradatio est rhetorica, cōmendatur nobis patientia, sed

tia sed unde esset, nisi affligeremur à deo. Crux quam  
 Deus non imponit, nō est crux: hinc macerationes &  
 castigationes Monachorum, non sunt crux Christi,  
 quia nō impositæ à Deo. Christus calicem quem bibit,  
 à Deo patre habuit, ideo orauit, Aufer à me calicem,  
 quod Monachi nō possunt dicere, nam quis eos cogit  
 ut talia patiantur, est eorum potestatis ferre, uel non  
 ferre. Sicut nec crux fuit quādo Christus quadraginta  
 diebus ieiunauit, nam erat in sua potestate, ideoq; nec  
 orauit clamando ad patrem, sicut in horto.

### Probationem.

Experimentum, siquidem in patientia ipsa experi  
 mur, num credamus Deo: dum adfligimur exercetur  
 patientia, in ea certi reddimur apud nos, quod Deus  
 det uirtutem ut possimus perdurare.

### Spem.

Cur ultimo loco hic posuit spem, cū eam antea calu  
 sam istorū omniū dixerit, quæ uides in textu. Respon  
 deo. Necessè est spem esse, quæ fidem cōseruet, ne ten  
 tationes opprimant. Ad quod hic dicit, probatio spem robur.  
 Crux fidei  
 parit, uult Apostolus, tentationibus certiozem & for  
 tiorem eam fieri, id autē quisq; apud se experitur, qui  
 semel atq; iterum uicit in arena aduersariū, is maiore  
 est animo & constantiore, ad plura pericula. Sic pius  
 animus aliquoties tentatus & afflictus, perdurat in ad  
 uersis, ne Christū suū amittat, qui eius unica est spes.

Porro spes.

Scilicet illa, de qua dixi, quã per seuerantiam adsecuti sumus, nõ eam dico quam hypocritæ somniant.

Non pudefacit.

Scilicet, in conspectu Dei, & in tua conscientia, nam quicquid petieris, speraueris id adsequere, ut cum Paulo dicere possis, Spe salui facti sumus.

Dilectio Dei.

Scilicet, qua diligimus Deum, nam dicit de dilectione nobis data.

Effusa est.

Eam emeruit nobis CHRISTVS. Estq; illa, ipse Spiritus sanctus. Quomodo autem illum accipimus? aut quando? cum Verbum predicatur, id creditum, statim Spiritus sanctus comitatur, qui hanc ipsam fidem in nobis operatur, qua fit, ut suauissimo, non anxio corde id præstemus quod lex exigit, nempe, ut diligamus Deum ex toto corde, complectamur proximum candido affectu. Alias enim secunda dum naturam id non possumus. Nam omnia præcepta legis diuinæ sunt nobis impossibilia.

Hec igitur est pax, quam non labefacit ulla aduersitas, non expugnatur caducarum rerum dulcedine. Quod si dicas te sentire adhuc peccatum, horrorem mortis, ut maxime sentias, tamen habes quod

statim



Statim obijcias. Quid? Remissionem omnium peccatorum per CHRISTVM. Hæc tibi firmiter tuo cordi insederit, quid faciet peccatum? nihil te moueat carnis cogitatio quæ tibi dicit, hanc gratiam sancti quidem adsecuti sunt, uerum non fuerunt peccatores ut ego. Et esto, peccatores eos fuisse, tamen non tam magni quantus ego sum. Respondeo, Tum primum te huiusmodi sentire, quando cœperis agnoscere te peccatorem, hæc Sathanas excitat in corde tuo, quibus magnifaciat tibi peccatum, ut gratiam illam non agnoscas, nititur te impedire, quo minus dicas, Maior est gratia quàm peccatum meum. Ergo non indignos nos putemus ad hanc.

Gratiæ com-  
mendatio.

Quia Christus, cum essemus adhuc infirmi.

Id est, quando eramus natura impij & indigni ad hanc gratiam, redemit nos. Hic æstimare potes, quid sit Liberum arbitrium, quæ uox contraria est gratiæ.

Liberū Arb.

Iuxta temporis rationem.

Nos in tempore sumus, Deus extra tempus, ergo secundum prædestinationem sumus sancti & beati, quia dilexit nos ante constitutionem mundi in Christo, Ephes. 1. Verum dum sumus in carne, sumus in tempore, ideoq; in ipsa impietate, non agnoscimus Deum & gratiã eius. Errantes oues sumus, & ex eo errore non eripimur, nisi ipse tractus ea dilectio-

Cōtra huma-  
na merita.

ne, qua ab eterno nos dilexit, nos eripiat. Hic iterum  
uidere potes, quā impie fingamus merita, si enim in  
operibus nostris esset sita salus, esset momentanea no-  
stra iusticia, ut sunt ipsa opera: itaq; sola gratia cer-  
tificat nos de Dei erga nos uoluntate, dum nobis hanc  
pacem infundit, quam opera nequaquam possunt pra-  
stare. Nam cur diceret apostolus, nos omnes infir-  
mos, nisi quòd nihil possimus boni facere, neque ad  
gratiam cooperari?

### Nam uix pro iusto.

Declarat quodam simili, fieri potest, ut quidam ho-  
mines pro iusta causa, & aliquo bono nō dubitent mo-  
ri, nempe pro patria, uxoribus, liberis &c. ut testan-  
tur historia: uerum in causa iniusta & mala, nemo se  
sponte morti obijcit: uerum CHRISTVS pro no-  
bis iniustis & nostris peccatis, pro nobis inimicis &  
iniquitate mortuus est, ut testatur Propheta, Obla-  
tus est, quia ipse uoluit. Hec omnia tanta diligen-  
tia nobis inculcat Apostolus, ut certi reddamur de  
Dei gratia & pace in nobis.

### Forsitan.

Quasi diceret, id rarum est, uel non libenter hoc  
homines faciunt.

### Commendat charitatem.

Scilicet, qua nos diligit.

Peccatores.

*Supra infirmos dixit.*

**Christus pro nobis mortuus fuit.**

*Vt sic sua morte nos liberaret à peccatis, eramus impij & damnati, & nisi nobis mors Christi subuenisset, periissemus.*

**Multo igitur magis.**

*Est argumentum à maiori, si suscepit & dilexit nos inimicos et malos, iam magis tuebitur, & diliget amicos, & sanguine Christi redemptos. Beneficus fuit inimicis, quomodo non bene uellet amicis?*

**Nam cum inimici.**

*Idem argumentum est, sed alijs uerbis.*

**Per uitam.**

*Scilicet, Christi, quia iam uiuit, & nos iam è regno mortis, in regnum eius uitæ traducti sumus.*

**Non solum autem hoc.**

*Non tantum gloriamur sub spe gloriæ Dei, & de Gloriatione cruce, qua nos Deus probat, sed est tertia quoq; gloria nostra, qua gloriamur, quod Deus noster est: non solum gloriamur, quod iste rex Deus det, & daturus sit multa bona, quibus nos ditet. Est hoc omnium maximum, quod is in manu nostra sit, & noster dici uelit. Nos Dei sumus, & ipse cum omnibus suis uult esse noster, idq; per CHRISTVM IESVM*

## COMMENT. POMER.

mediatorem. Sed hæc exuperant omnem sensum, quæ omnia eò pertinent, ut pacem conscientijs nostris infirmis, confirment & persuadeant, nam semper in dubium uocamur per cogitationes de peccatis, quibus nihil est pestilentius contra hanc pacem. Ideoq; Paulus ait, maiorem esse gratiam peccato, salutem non in eo consistere quod nos sentimus & cogitamus, sed in favore Dei per Christum, in quo solo obtines illam pacem. Totus est Paulus in hoc, ut nobis ob oculos ponat uim gratiæ & peccati, quam ubi agnouerimus, nihil est quod nos à Deo auocet.

### Quemadmodū per unū hominē.

Observabis hic orationis constitutionem, nam non statim eam absoluit, cum quædam inspargit, ex quibus inclarescat uis gratiæ & peccati, per collationem.

### Per unum.

*Originalis noxa.* Id est, Adam. Loquitur uero de peccato quod uocant, originali, quo omnes damnati sumus, huius effluua relicta peccata crassa emanant tanquam è fonte. Rursus si hoc non esset in nobis, non haberemus relicta qua omnia, & sicut omnia bona quæ in nobis sunt debemus iusticiæ Christi, sic omnia mala quibus sumus obnoxij, debemus peccato originali.

### In mundum.

Id est, omnes homines.

Peccatum



Peccatum introijt.

Id est, mors, iuxta hoc, In quacunq; die comederis, id est, peccaueris, morte morieris.

In omnes homines.

Id est, totam Adæ posteritatem: propagamur enim omnes ab Adam, & eodem peccato inquinamur, quo ipse propagator.

Vsq; ad legem.

Scilicet, Mosi: Occupatio est, tamen peccatum non uidebatur, ergo non erat peccatum ullum: non consequitur. Sicut absurdum est & hoc, Thesaurus non uidetur, ergo non est, nam forte alicubi in terra de fossus est ut uideri nequeat.

Peccatum non reputatur.

Man achi seyn nicht. Per legem & prohibitio- nem peccati uidemus peccatum, hac sublata, tamen si peccatum sit & maneat, non uidetur peccatum. Con- feratur hic locus cum superiore, ubi non est lex, ibi nec transgressio, eodem enim pertinet quod hic dicitur, peccatum nõ habebatur pro peccato ante legem. Sic hodie quoq; eramus excacati, ut etiam amissa co- gnitione naturalis legis, ignorauerimus peccatum.

Imo regnauit mors.

Id est, imperium tenuit, etiam ante legem latam.



damnavit nos alieno, id est, suo peccato. Sic Christus nos liberauit aliena, id est sua, non nostra iusticia.

Nam si unius delicto.

Exponit quod iam dixit, efficax sanè fuit uis peccati Adæ, in omnium hominū damnationem, sed efficax *Gratiæ uis* iusticia CHRISTI in omnium hominum liberationem. Ideoq; nostræ conscientiam respicere debent, non in peccatum, sed in gratiam, quæ est multo fortior & excellentior ipsa fortitudine peccati: quanto homini Deus est præstantior & melior, tanto ualidior & nobilioris efficaciæ gratia peccato.

Gratia Dei.

Id est, fauor Dei quo nobis bene uult.

Et donum.

Scilicet, quod ad nos & in nos uenit.

Quæ fuit unius Christi.

Deus pater in hoc solo homine sibi complacuit, in hunc unice sua benignitate & dilectione respiciebat, adeo, ut ipsum heredem faceret totius mundi, collocaret ad dexteram suam, nihil dignitatis & potentie in eū non transfunderet, & postq̃ ille sanguinē pro nobis effudit, quomodo nō recōciliaret nos patri? Itaq; gratia Dei per Christū in nos est propagata: non potuisset Christus reddere nobis propitiū suū patrem, nisi ipse eum benignum & propitium habuisset.

Exuberauit

*Abunde uenit peccatum, sed abundantius gratia.*

Et non sicut per unum.

*Scilicet, Adam uenerat mors.*

Ita & donum.

*Scilicet, uenit: exponit dissimilitudinem.*

Nam condemnatio.

*Scilicet, omnium uenit.*

EX VNO DELICTO. *Scilicet, unius hominis Adæ peccato: & loquitur hic de peccato originali.*

Donum autem.

*Scilicet, uenit, id est, ipse Spiritus Dei datus est per CHRISTVM.*

Ex multis delictis.

*Id est, omnium hominum peccatis.*

Ad iustificationem.

*Id est, ut iustificaremur & absolueremur ab illis. Sathan, qui hodie omnem mouet lapidem in suis ministris, audet tam impudenter nugari contra Euangelicam lucem, ut uel pueri illius mendacium deprehendant, dicit enim, CHRISTVS passus est, sed pro illis tantum, qui ante ipsum fuerunt: proinde illius passionem nobis tantum utilem esse ad originalis peccati ablutioem, cætera uero peccata per nos ipsos expianda, sed id quod impium sit cõmentum, cõscientiæ nostræ*



nostra testes sunt. Est autem phrasis mira q̄ dicit, Ex multis delictis, quam & habet Esa. 40. Suscepit duplicia pro omnibus peccatis, ergo non pro meritis. Deus omnes inuenit in peccatis, & quod supra dixit, pro ratione temporis huc quoq; pertinet. Quod igitur fingemus nobis meritum, nisi damnationis? Inimici eramus, iram, non fauorem Dei merueramus.

Etenim si per unius peccatum.

Semper eadem repetit propter infirmas conscientias, quæ semper putant peccatū esse fortius & maius gratia Dei. Respondet ergo per Antithesin, multo esse uberior em gratiam peccato, illud est ex Deo, hoc in nobis. At quid nos possumus, cum simus scœnum, & solus Deus æternus, uere potens omnia.

Gratiæ amplitudo.

Regnauit.

Emphaticum est, quod ait, regnauit. Nunquid aliquis potuit suis uiribus resurgere ad uitam? nunquid ullus philosophorum, suis uirtutibus moralibus, potuit huius regni iugum excutere? an & iudæi uitam per legem consequi potuerunt?

Qui exuberantiam gratiæ.

Gratia in dante est, donum ad accipientem uenit, ut quando pater dat filio cibum uel tunicam, fauor uel gratia Dei efficit, ut donum, id est, Spiritum sanctum accipiamus, per quem consequimur filiationem & hereditatem.

Doni iusticiæ.

*Id est, per quod iustificamur, estq; ipsa remissio peccatorum.*

Per uitam.

*In uita rectius legeris, id est, uiuentes regnabunt, non manebunt in morte.*

Authore uno.

*Scala Iacob.*

*Cum omnia debemus, is est mediator noster et scæla Iacob, qua in cœlum ascendimus. Ideoq; cum uideas Paulum ubiq; id nobis inculcare, non est quod soliti huiusmodi alios locos quæramus.*

Itaq; sicut.

*Hic primum absoluitur oratio, et repetit superiora. MALVM. Id est, peccatum.*

Ad condemnationem.

*Vt condemnarentur. Hæc omnia propter infirmas conscientias toties repetit, quæ non satis roborari possunt per inobediẽtiam unius hominis Adæ, omnes facti sumus inobedientes: per obedientiam CHRISTI, qui usq; ad mortem patri factus est obediens, facti sumus obedientes, recepti in filiationem, qui eramus antea exclusi.*

Multi.

*Pax cordis*

*unde petēda.*

*Id est, quotquot credunt et CHRISTVM suscipiunt. His omnibus tantum uult confirmare pacem,*

*cem,*

cem, de qua dixit, ut simus certi, plus posse gratiam quam peccatum, non est nobis negligendum, quod aliena iusticia saluamur. Itaq; quoties nos sollicitat peccatum, in CHRISTVM nos conijciamus, credamus illius omnia nostra esse, & per ipsius opus nos saluari. Cum respicimus in nostram iusticiam, occurrunt tot millia peccatorum, quibus magis ac magis uexantur cōscientiæ nostræ: si uero in solum Christum respexerimus, pacem habebimus et gloriabimur, Deū esse nostrum Deum, quod sicut peccatum fuit potēs, gratiam multo potentiolem fore.

### Cæterum lex.

Occupatio necessaria est ad prædicta, quasi diceret, nos diximus interim de peccato & iusticia morte & uita. Ad quid ergo lex, quæ interim data est & nō frustra, ut testantur conscientiæ nostræ? Respondet. Subijt, uenit & intrauit ad nos obiter, id est, peccato regnante, & stante ab eo tempore, quo in nobis per Adam suas radices fixit. Venit itaq; lex, cum iam olim regnarat peccatū, sed non fuerat reputatum ab hominibus, Keyner hats fir sunde geacht. Sicut hætenus putauimus summam iusticiam papisticos errores. Vbi autem reuelata est ira Dei de cælo, uidemus esse huiusmodi impietatem, summā Christi abnegationem.

### Vt abundaret.

Quando lex uenit, peccatum inuentum est in

COMMENT. POMER.

Lex robur  
peccati.

mundo, nam ab Adam regnarat dormientibus hominibus, & non curantibus illud, uerum lex ( ut est eius natura ) statim illud reuelauit conscientijs nostris, ideoq; grauius multo & molestius factum est hominibus, quam antea fuerat, quia non sentiebatur, nunc cum sentitur & cernitur in conscientijs eorum, parit mirum quendam horrorem mortis & desperationis, uelint legem planè non esse, quæ nostris cupiditatibus obsistit, immo murmurant contra Deum, qui nos lege damnat. Hic, hic est penitissimus affectus cordium nostrorum, quem pauci uident. Inquit ergo, tantum abest, ut lex iustificet, ideo non est respiciendum in opera eius, sed in Christum. Lex in hoc primum data est, ut reuelet peccatum. Secundo, ut augeat illud: sed quid dices? Ergo lex malum est? In septimo respondet esse sanctam, ut uides. Sed ita agit Deus nobiscum cum lege, quemadmodum medicus cum ægroto per medicinam, hæc per se bona est & salutaris, attamen materiam delinquendi sæpe præbet: ut si mandetur ægroto, ne uescatur carne suilla, statim illi quidam adpetitus mouetur edendi suillam, siquidem natura nititur in uetitum, ita & lex multis est peccandi occasio, cum tamen Deus per eam nos urgeri uoluerit, ut uidentes nostrum peccatum & damnationem, adurgeremus ad quærendam eius gratiam, nam quanto grauius & intolerabilius est delictum, tanto citius querimus Christum, ut quo quis plus

Lex cur  
data.

plus



plus diligeret, hoc ei plus remitteretur, ut Christus in Luca dicit, in historia de muliere peccatrice.

### Vbi uero exuberauit.

Hec quoq; ad pacis confirmationem pertinent, etiamsi commissem omnia peccata mundi solus, nulla essent prorsus si gratiam consequerer in Christo. Deus sinit suos cadere, etiam grauissime quandoq; ut ardentius resurgant, & gratificentur Deo, sed carnales huiusmodi prae-dicatione Euangelica abutuntur, dicentes: ergo faciamus grauia peccata. Contemptores sunt (quos Deus non recipit, & quibus Euangelium non praedicatur) non peccatores, id est ij, qui agnoscant sui damnationem propter peccatum. Hinc in Psal. ait, Longe à peccatoribus salus, quoniam nō exquisierunt iustificationes tuas. Non quia peccauerunt, ab eis longe est salus, sed quia iustificationes tuas non exquisierunt, nolebant per te iustificari. Huc pertinet quod CHRISTVS ad Petrum dicit, qui tamē negarat CHRISTVM, Petre amas me? &c.

### In morte.

Id est, condemnatione hominum.

### Per Iesum.

Semper CHRISTVM interponit, ut sciamus per quem uobis talia beneficia contigerint.

## CAP. VI.

**H**Actenus iusticiam ueram, per solum **CHRISTUM** mediatorem peccatoribus, à Deo exhiberi. Item, eius iusticiæ fructum esse, pacem cōscientiarum docuit. Hic ea confutat argumenta, quæ acumen rationis humane, contemptricis gratiæ & misericordiæ Dei, solet obijcere. Nouit enim Paulus, qui & ipse caro fuit, quid soleat illa in Dei contemptum machinari, ubi gratiæ prædicationem audierit, si quidem offenditur cum audit, Vbi abundauit delictum, abundauit & gratia, statim infert, Si peccatum tam bonum est, ut sit occasio gratiæ Dei in nobis, ergo peccemus? Item si sumus liberi, quiduis nobis impune licet. Itaque summa huius capituli nihil aliud continet, quàm dilutionem quandam huiusmodi ineptiarum, rationis humane. Simile in tertio capite uidiſti, ad quod respondēbat Paulus, Quorum damnatio iusta est. Hic fusius omnia agit, quo magis imbecilles conscientias erigat, nam ubi ratio obijcit: præstat ergo peccare, facere quiduis. Respondet, Quando alij facti sumus, necesse est ut aliter uiuamus, quando translati sumus è regno tenebrarum, in lucis regnum, pudeat nos eorum scelerum & operum tenebrarum, quæ lux iam ferre nequit. Absurdissima sunt hæc, siquidem inde sequeretur, esse scortandum, occidendum &c. cum tamen ratio interim hæc prudentissime obieciſſe sibi uideatur,

Ratio offenditur gratiæ prædicatione

detur, putat Deī consilia stulta & inepta, sua uero sapientissima, & neutiq̄ reprehendenda. Sed ubi animaduertentur huiusmodi ratiocinationes non bene cedere, putat omnia præcedentia de fide & gratia, esse ementita. Proinde humanis quoq; utitur argumentis, præter ea, quæ è sacris fontibus petita sunt, dicens: Minime est peccandū, cum iam peccatorum remissio prædicetur, non in hoc, ut porro peccemus, sed ut peccatum odiamus, & peccatum aboleatur: resuscitati sumus in uitam, non in mortem. In fine capitis docet, quomodo id fieri possit, nempe adiutorio spiritus Dei, qui regnat in nobis: aliàs enim secundum naturam, peccatum quomodo odio haberemus? Odit Spiritus sanctus illud, is impellit & mouet nostros adfectus in eiusdem odium: in hoc ille nobis datur, ut dimittatur peccatum, non ut porro fiat, hic te agit, ut Dei gratia opera facias, non ex tua natura. Est igitur contra eos hoc caput, qui hodie blaterant, nos prohibere bona opera, cum non intelligant, quæ sint bona aut mala: non norunt ea bona esse tantum, ad quæ nos trahit Spiritus sanctus, per quæ certificamur, nos placere Deo, dum sic in ijs crucifigamus carnem nostram, & seruamus necessitati proximi gratis, & hilari affectu: mala uero, quæcumq; ex natura fiunt, & non impulsore Spiritu sancto.

Abundet.

## COMMENT. POMER.

Vide insignem stulticiam carnis : uult peccatum esse causam gratiæ, quid magis contumeliosum in Deum dici potest, quam quod peccatum meum, causa sit salutis? Ideo saluor, quia pecco: talia putat ratio uisferenda, ad ea, quæ cap. 5. dicta sunt. Euangelium non docet peccare, sed si peccasti, te non damnatum: promittit tibi remissionem peccatorum, ex bona Dei uoluntate, & gratia, non ut pecces, sed ut desinas peccare. Hic in hanc solam tibi erit respiciendū, non in tuum peccatum & malitiam, quæ non salutem, sed damnationem meretur. Commendatur quidem magnitudo gratiæ ex peccato nostro, non tamen est causa salutis, sed ipsa gratia, qua dimittitur peccatū. Si enim peccato esset tribuenda salus, multi, imò omnes impij saluarentur.

### Qui mortui sumus.

Christianismus quid. Id est, è regno Sathane, translati in Christi regnum. Hic discere quàm breuiter doceat Apostolus, in quo consistat Christianismus. Est is nihil aliud, quàm mori peccato, & uiuere iustitiæ: mortui autem sumus illi, per mortem Christi, resuscitati per illius resurrectionem.

### Peccato.

Scilicet, per Christum. Mortui sunt peccato, qui non habent de eo conscientiam, ut maxime illud sentiant, tamen ei non cōsentiunt, sciunt se nomē dedisse iustitiæ. Item ipsorum nomina scripta in caelis, uenit se perire



se pertinere ad iusticiæ, nō peccati regnum, ideo & ipsis nō imputatur peccatū ut alijs impijs qui peccato obsequuntur, grauantur quidem peccato, sed q̄primū uident in uultum benigni patris, euanescit.

### Quomodo uiuemus.

Absurdum esset dicere, Viuendum est peccato, cum mortui simus peccato, quod probat per symbolum baptismi nostri.

### An ignoratis, quod qui cum.

Nunquid tam stupidi estis ut ignoretis nos unū iam esse cum Christo, item nos pertinere ad illius, non peccati corpus, membra sumus Christi, non Sathanæ.

### In mortem eius.

Id est, ita mortuus est Christus pro nobis, ut cum ipso simus quoq; mortui omnes. Omnes eramus obnoxij morti propter peccatū, mori debebamus, sed Christus hoc debitum pro nobis soluit. Infirmiores eramus quā ut mortem uinceremus, absorpsisset hæc nos ac pessundidisset. Verum Christus fortior morte, absorpsit eam, non sibi, sed nobis: non eramus soluendo, ille diluit debitum tam efficaciter, ut, tamen si nos non satis fecerimus, iam morti satisfactum sit. Mortui ergo sumus illius morte, sicut qui pro me soluit debitum, ut maxime ego non numerauerim pecunias, tamen iam sum liber à debito, quia is pro me satisfecerit: ita iam perinde mortuus sum, atq; Christus.

Christi satisfactio nostra

Sepulti igitur.

Id est, sicut ipse sepultus est, Vuyr seyn in seynen  
todt gekrochen. Quare?

Vt quemadmodū excitatus Chri-  
stus ex mortuis per gloriam.

Id est, quemadmodum Deus pater ex ignominio-  
sa morte, traxit suum Christum, & in gloriam collo-  
cauit, iuxta illud Iohan. 17. Pater glorifica filium tu-  
um, deditq; illi nouam uitam, quam & nobis cum eo  
communem fecit, ita & nos è morte extracti, & in  
nouam uitam constituti, perseueremus in ea, non re-  
petamus mortem. Semel ille mortuus est, & iam sem-  
per uiuit: Mors illi ultra non dominabitur. Ita & nos,  
qui in ipso reuiximus, non cupiamus uerum mori:  
iam regnat ille in regno uitæ, non mortis, idq; hodie  
in gloriam eius prædicatur per totum orbem. Summo  
dedecore ipsum adfecerimus, ubi contempta noua uit-  
ta, ad mortem deficere uoluerimus, quod ij faciunt,  
qui inferunt: ergo peccabimus, malunt illi mortem,  
quàm uitam, uide quàm absurda hæc sint, peccatum  
remittitur, non ut pecces, sed quia Deus odio habet  
peccatum. Itaq; peccatum ad Christi regnum, & no-  
uam uitam non pertinet. Benignitate alicuius princi-  
pis è carcere soluo, stultus fuerim, qui iam benignita-  
tem puè non libertatem, sed captiuitatē fore, nõ ideo  
soluus sum, ut maneam in carcere, sed ut sim liber.

Exēplo Chri-  
sti moriamur  
& nos.

## Nam si infiticij.

Id est, si inserti sumus illi, & unum factum cum eo, si cum eo uere sumus mortui, non allegorice, sicut quidam causantur, certe & resurreximus cum eo. Volunt hic quidam Magistri carnis, similitudinem mortis, nescio quibus tenebris obfuscare, sed nequeunt. Aliter enim nos docet Spiritus sanctus Dei, qui regnat in cordibus credentium, quare non facienda est hic allegoria mortis. Similiter & uere nos mortui sumus, quando ipse mortuus est pro nobis: illius mors, nostra est mors, in conspectu Dei, ut maxime ratio humana id non capiat. Hoc uerum est fundamentum, cui innuitur nostra salus, hic uerus usus mortis Christi, quem illi, qui somniant allegoricam mortem, non uident, præscribunt nobis tantam imitationem Christi, sed interim hæc negligunt, que in primis scire retulerat. Itaque certus sum necesse, me mortuum esse in morte Christi, me surrexisse resurrectione Christi, regnare in regno Christi, sedere ad dexteram patris in Christo: In summa, omnia que Christi sunt, mea esse, Ephesios primo. Non est ergo similitudo hæc: Christus mortuus est, ergo & nos libenter moriamur. Sed illa: Christus mortuus est, ergo & nos iam sumus mortui. Christus resurrexit: Ergo & nos resurreximus, hoc qui credit, facile & hilariter corde imitabitur Christum, bonis operibus.

Mortis Christi usus.

COMMENT. POMER.

immo & audebit pro illo mori, & mortificare membra, quæ sunt super terram.

Illud scientes, quod uetus.

Duplicem describit hominem, ueterem & nouum: uetus est, qui ex carne nascitur, ut Christus dicit, Quod natum est ex carne, caro est, id est, omnia quæ pertinent ad hominem & uires eius: totum quod nascitur, anima et corpus, caro est & peccatum: neque intelligentes hæc de ratione & sensualitate. Hinc Christus dicit, Oportet uos renasci, adeo nihil est in uestra illa prima natiuitate quod bonum sit, omnia sunt damnata, non potestis uelle & cogitare quæ Dei sunt, hinc est, quod lex Dei uobis displiceat, & contra eam murmuratis, uelitis eam non esse, ne utique potest uestra uoluntas cum Dei uoluntate conspirare, ergo quicquid uultis, quicquid cogitatis aut concupiscitis id contra Deum. Nouus uero homo est, in quo nihil est nature, nihil uirium humanarum, sed spiritus Dei, qui ipsum mouet & impellit, qui quicquid agit, scit certissime se agere Dei bona uoluntate, scit omnia illi placere, nihil esse in se quod ille odiat & damnet.

Crucifixus est.

Sicut antea mortuus, ita nunc crucifixus dicitur, nisi quod hoc intersit, quod qui crucifixus est, nondum plane mortuus sit, uiuere potest adhuc diebus aliquot, interim tamen dum uiuit, pro mortuo habetur, neque spes ulla



est uitæ illius, cum planè sit adiudicatus morti. Sic nos, utcumq; sentiamus peccatū, crucifixi sumus, & Mori peccati iam destinati, unò sumus in ipsa morte, tam coepit caro in nobis mori, & moritur uere peccatū et caro nostra.

Ut aboleretur corpus.

Id est, ut non maneret in peccato, quod contra illud est quod dicunt: Ergo peccabimus. His ostendit carnem non significare corpus tantum, uerum quid quod uerum est in homine, nempe, anima, intellectus &c. Siquidè non potest concupiscere corpus sine anima. Hoc totum, ait, per Christi mortem est abolendum, reformandumq; iusticia Dei. Spiritus baptizat nos toto tempore uitæ nostræ, donec totum illud corpus moriatur: utcumq; adhuc sentiamus illud peccatum, tamen crucifixam est, non regnat, sed subigitur spiritui, ergo corpus peccati, nihil aliud est, q̄ quod peccat.

Etenim qui mortuus est, iustificatus est.

Non potest accusari peccati, uel quod peccet, is qui mortuus est. Et ut simili declarem, si quispiam accusaret me adulterij heri perpetrati, conuincerem autem illum testibus, eo tempore me fuisse mortuū, nonne accusator mendax repudiaretur per iudicē? Quāprimū ergo totum corpus peccati aboleretur & moritur, mortuum est omne peccatum, & uis eius.

Viuemus.

Scilicet, ipsa re, et uere cum illo in resurrectione eius.

Scientes quod.

Mors semel Christo dominata est, ut Petrus in Actis dicit. Impossibile erat eum teneri in morte, qui morti obnoxius non erat. Diligentissime hæc semper inculcat eadem Apostolus, ut opprimantur uirulentæ linguæ carnes, quæ dicunt, ergo peccabimus: quo modo peccare uellemus, translati in regnum iustitiæ?

Nā quod mortuus fuit, p̄ctō &c.

Peccatum ipse portauit, non quia fecerat peccatū, sed ut peccatum in nobis mortificaretur, uiueremusq; noua uita Deo.

Ita & uos existimate.

Credite uos sic mortuos in Christo, ut non peccetis, ubi autem sollicitari uos caro ad peccatū, cogitate & credite, uobis nihil esse cū peccato, & ex eius regno uos esse ereptos, uiuitis Deo, nō peccati domino.

Per Christum.

Hæc adijcit, ut intelligas mediatorē ipsum esse, per quē hæc omnia nobis cōtingerint tā opulentiæ gratiæ.

Neregnet igitur.

Est occupatio: quid faciemus? inquit pij, carnis imbecillitati adhuc obnoxij, non sumus angeli, habemus tale corpus, cui procliuum est, ut tantum peccet.

cet. Respondet Paulus: Vos quidem portatis mortale corpus, sentitis peccatum, & carnis iniurias, id non potestis effugere, dum in mundo estis. Neque enim dico, ut non sit in uobis peccatum, sed ne regnet in uobis, non obediat peccato: Spiritus sanctus repugnet carni, & contundat illius robur, sed hæc ipse clare exponit. ILLI. Scilicet, corpori.

### Per cupiditates.

Concupiscentia in nobis est, ergo totum peccatū: Verum non imputatur, quia uellemus illud abesse. Sic igitur nobis cum Deo conuenit, qui quoque uult abolutum esse peccatum. Sed hic constantissima fide opus est, non opinione carnis, qua nostri somniant fidem.

### Neque accommodetis.

Id est, non abutimini membris uestris, quæ iam sunt instrumenta sanctificationis, nam sunt membra corporis Christi. 1. Cor. 6. non porro peccandum est, quum erepti sumus e regno peccati.

### Sed accommodetis uosmetipsos deo

Ut infra Duodecimo docet: Offeramus nos Deo & corpore & spiritu, id est, nihil sit in uobis, quod non seruiat iusticie.

### Velut ex mortuis uiuen.

Id est tam resuscitati estis, & uiuatis: facite ergo opera uiua non mortua.

Deo.

Id est, ad Dei honorē, quod ubiq; Paulus admonet, Est enim caro propensissima, audita prædicatione Euāgelij, in illius abusum, quo blasphemet Deum.

**Baptismi signum quid.** Haec tenus itaq; ratio & efficacia baptismi explicata est, qua monemur, ne porrò peccemus: & ut breuius repetamus, signum illud externum duo habet, immersionem & extractionem, quæ sunt duæ partes Scripturæ, siue duo officia prædicationis, id est, lex & Euangelium. Lege immergemur, non solum corpore, sed & anima, id est, toti, ut significetur totum nostrum hominem, quantum quantum est, oportere mori: neq; tamen solum id significari, uerum ipsa re fieri, reuera enim per baptismum cum Christo morimur. Extrahimur autem ex hoc baptismate, id est, resurgimus eum Christo, crescente in nobis spiritu: fit igitur, ut simul & moriamur & uiuamus: moriamur per legem, uiuamus autem per Euangelium: nam utrunq; in ratione baptismi deprehenditur. Non est igitur quod censeatur caro, nobis liberum esse, ut peccemus. Sed quia hæc nihil quod Dei est intelligit, non potest aliud, quod Dei Grattam & misericordiam blasphemare, id quod hodie in multis cum dolore est cernere.

**Peccatū uobis non dominabitur.**

Et hic locus probat non porrò peccandum: est uero in signis, quia legis abrogationem tractat, in quam caro



IN EPIST. AD ROM. 6a

caro crasso iudicio irruit, & nihil non audet. Est autem argumentum à facili. q. d. Antea quando adhuc eratis sine fide, iusticia Dei, ducebamini quasi uincti ad peccandum, nam tum uobis dominabatur peccatum, nunc uero quando estis sub gratia, habetis Deum patrem, non iudicem, non potestis peccare: non potuistis olim non peccare, imò necessario ad id ferabamini, nunc quia restituti estis, per Dei gratiam, non peccatis. Hic quæ de Libero Arbitrio dicunt illi, sunt **Contra Libera** respuenda, damnamus ea & execramur, Dei uero **rum Arbit.** prædicamus potentiam, quæ in nobis quiduis potest efficere. Eramus autem usque adeo obnoxij legi olim, ut simul omnes morti uorandos obijceret, quemadmodum is, qui hominem occiderit, ad mortem, per legem de homicidis latam urgetur, sic nos quia peccaueramus omnes, morti adiudicabamur per legem, iuxta illud: In quacunq; die comederis &c. Hæc erat tyrannis, hoc intolerabilissimum dominium legis, quod uexabamur, nunc tandem Dei fauore sumus liberati, habemusq; tam dominium in legem, non ex nostris uiribus, sed Deo, sitq; ut non peccemus: nam quomodo peccaremus, cum nec lex nec peccatum, nobis dominetur. Quare diligenter spectandum est, quid sit esse sub lege, quid sub gratia, nam si neglectum id fuerit, facile usu & fructu huius loci, de abrogatione legis frustraberis. Sub lege esse, est damnari in cōscientia, illius sententia, quia peccauerimus. Sub gratia esse,

Libertate quo  
modo abutan  
tur quidam .

est consciētiam certissimā esse de Deo , quod sit pater ,  
illiusq; benignitate omne remissum peccatū . Vbi igitur  
erit peccatum , cum remissum sit ? quis damnabit ,  
cum lex non possit damnare ? Sed & hoc mouendum  
est , multos hodie abuti libertate Christiana , qui dicunt :  
Cum abrogato sit lex , nihil est præcipiendum  
Christianis : Item , ieiunium Papisticum nihil est , ergo  
non ieiunabimus : Item , orationes institutæ per Pa-  
pam , nihil prosunt , ergo non est orandum : sic illi  
dicant , & abutuntur Christiana libertate . Illis non se-  
cus accidit , ac Iudæis & Gentibus quibusdam olim ,  
qui uidebantur credere Euangelio , cum tamen non cre-  
derent : abrogationem & libertatem nondum sunt  
experti in cordibus suis , ideoq; oculos tantum in ex-  
terna defigentes , & crassa errant . Verum qui sen-  
tiunt in conscientia sua legis uim sublata , ij uere no-  
runt , quæ sit libertas . Id autem fit per Euangelij præ-  
dicationē , qua remissio peccatorū annunciatur , quem  
admodū Gentium conscientie olim erant alligatæ qui-  
busdā cultibus externis obseruationi dierū . Prædicato  
autem Euangelio , deprehendebant errorē , illaq; esse  
prorsus ridicula : idem in Iudæis quibusdam uisum est ,  
qui quoq; suis constitutionibus uexabantur , reuelato  
uero Euangelio , intellexerunt esse fabulas . Sic nos  
quoq; . Iam uulgato Euangelio per orbem , scire oportet  
tebat , conscientias nostras liberatas per illud , à tortu-  
ris & uexationibus Papisticis , non per id datam occa-  
sionem

eationē stultæ carni, ut quiduis præsumat, quā infantia  
 Paulus & Apostoli ubiq; damnant. Norunt autem  
 tantum ueri Christiani, legis abrogationem, hanc ad  
 mirantur, & adorant in spiritu, cum sit ipsa Dei mise-  
 ricordia. Multis nunquā potuit persuaderi totam le-  
 gem abrogatā, quare tantū Ceremonialē legē subla-  
 tam prædicabant: Proinde dicebant, si moralis lex est  
 abrogata, ergo licet scortari, furari &c. quæ sunt cō-  
 tra Deum & proximum. Usque adeo hæserunt in ra-  
 tione humana, ideoq; uani facti sunt, non uiderunt  
 neq; intellexerunt Dei diuitias, nobis per Christum ex-  
 hibitas. Quid potuit hoc stultius dici? si enim Ceremo-  
 nialis lex abrogata esset, ergo tantum ludæis, non ali-  
 is hominibus abrogata esset: cum tamen dicant Apo-  
 stoli, neminem potuisse sustinere onus legis, ideoq; ri-  
 diculū est hæc audire. Sed hoc omni demētia ineptius,  
 quod cū nos per Christū asserāt liberatos à lege Cere-  
 moniarū, interim tamen multo grauioribus nos onera-  
 rint, ut eorum Decreta indicant. Est hoc prædicare  
 Euangelium, aut Dei gratiam, & intelligere liberta-  
 tem Christianam? Non igitur hic, & similes loci, de  
 abrogatione Ceremonialis legis tantum intelliguntur,  
 uerum de uniuersa lege, qua sublata est quoq; mace-  
 rics, tota mandatorum lex, Chirographum, quod  
 erat contra nos sublatum, Ephe. 2. Col. 2. Hæc Lex quatenus  
 profecto de morali lege decem Præceptorum dicta abrogata  
 sunt, per quæ præcepta, mea conscientia, uacua glo-

· C O M M E N T . P O M E R .

via Dei obligatur, damnatur, quod sciam & iam agno-  
 scam me non dilexisse, neq; posse diligere Deum &  
 proximum ex corde: ubi uero agnouero Christum mi-  
 hi datum, qui pro me legi satisfecit, aboletur tota lex,  
 & qui fueram seruus & captiuus legis, spiritum filio-  
 rum, qui est libertatis, consequor. Itaq; libertate illa le-  
 gis, primo remissionem omnis peccati obtinemus, quo  
 quis non uidet, omne ius legis abrogari? Nam nihil  
 amplius in nobis illa inuenit quod condemnet. Quid  
 plura requiris? nihil hic reliquum quod debeas legi,  
 soluta sunt omnia per remissionem. Secundo, donat-  
 tur nobis Spiritus sanctus, per quem libere facimus  
 quicquid exigit lex, non tamen lege cogente, & id  
 quod facimus bonum est, quia sine lege facimus, spiri-  
 ritu intus nos ad id trahente. Si tamen quid contrarium  
 facere nos contigerit, dolemus eodem spiritu, & non  
 imputabitur, quia in remissionem peccatorum consi-  
 tuti sumus. Hoc igitur est uere facere legem, non ty-  
 rannide compulsos, sed spiritus mira suauitate & fan-  
 cilitate, ad illud perducti. Tertio, consequimur, ut  
 peccatum quod reliquum est in nobis, & quod solus  
 citat nos, non imputetur. Siquidem Spiritus sanctus  
 nobis donatus est, sumusq; filij, & Deus pater est.  
 Hic nihil habet iuris lex, non potest nos damnare,  
 quia in nobis abrogata est, Deus est supra legem, qua-  
 re potest efficere, ut non imputetur ipsum peccatum,  
 & hoc est quod Paulus dicit: Vbi spiritus domini,



ibi libertas, quam qui habent, non ea abutuntur: et qui eam sibi fingunt, abutuntur. Et in hanc sententiam hic Paulus loquitur: Non estis sub lege, id est, non habet lex uos damnandi, tamen si uerum sit, ubi in uos respicitis, peccatum habetis: ubi uero in gratiam, non habetis, nam remissa sunt omnia peccata, & ea tantum facitis, quæ sunt uoluntatis diuine. Quare nemini quicquàm debemus, quàm proximo dilectione. Dilectionem Dei non possunt non habere, qui Christiani sunt, ideoq; de illa non præcipitur, sed tantum ea quæ est in proximum. Ex ijs omnibus stultitiam eorum uides, qui inferunt: ergo peccabimus: quæ esset illa liberatio à lege, si adhuc captiui per eam teneremur? A morte, à lege, à peccato sumus liberati: quare minime est peccandum: stultus is fuerit, qui dixerit, è carcere sum liberatus, ergo ingrediar carcerem.

### An nescitis.

Hic respondet carnalibus, qui inferebant: ergo peccandum. Est autem talis responsio, quam ratio nouit: respondebit autem fortius in sequenti cap. q. d. Si uultis peccare, ergo non estis liberati à peccato. Estq; generalis sententia: Si ego alicui principi me addico, seruus illius sum, sic qui se peccato accommodat, seruus peccati efficitur, nam illi obedit.

PECCATI. Scilicet, serui. AD  
MORTEM. Id est, condemnationem.

COMMENT. POMER.

OBEDIEN. Scilicet, seru.

Iusticiam.

Id est, iustificationem, ut sitis iusti. Sententia est olim peccō seruiebatis, tam alium dominū habetis Christum, illi seruite, nam in illius regnum estis traducti.

Gratia.

Scilicet, sit Deo, quod liberati sitis à peccatis, non quod fueritis peccatores.

Obedistis.

Id est, suscepistis hanc doctrinam per fidem.

Ex animo.

Id est, non carnaliter, aut hypocriticè. DO  
CTRINAE. Scilicet, Euangelicè.

Traducti.

Scilicet, à Deo, quasi erepti ex alio, & in aliud traducti. Hic uides, quid relinquatur Libero Arbitrio cum traducamur per illud, non potes hanc doctrinā suscipere, cum sit ex sola fide.

Humanum.

Hæc ad sequentia refero, non ad superiora, ut quidam, quasi non satis sit Christianum, dici regnum iusticiæ seruitutem: Quæ quidem sententia bona est, sed malo argumenta esse rationis, quæ pia uidentur, at si quis expendat, non satis consistent. Siquidem dicit Paulus: Loquor quemadmodū soletis uos loqui, de  
ijs rebus

ijs rebus, at tamen intimius illa sunt scrutanda. Non satis est dixisse: Si potuistis in regno mortis facere malum, potestis et iam in regno iustitiae facere bonum et iustum. Paulus enim hoc interim contemnit, quod homines nostri Theologi se in Scripturis inuenisse gloriantur. Nam et ex hoc loco Lib. Arb. statuunt miseri, non uidentes, quod Paulus dicat se loqui humano more, id est, uti rationibus et argumētis ratiōis. Nā subiungit

**Propter infirmitatē uestram.**

Id est, forte aliter non potestis capere, utar argumento rationi uestrae obuiō. q. d. olim fecistis malum, iam benefacite, humana sunt haec et insufficientia ad faciendam legem, ideoq; hoc diligenter spectandū est interim, Paulum hic praesupponere, nos esse iam sub gratia, non sub lege, sub qua non aliud quam bonum facere possumus, aliās frustra haec diceret, quia id non est in nostra potestate, uerum in spiritus, qui in nobis est, omnia faciens quae bona sunt. **SERVA.** Id est, seruiētia.

**Immundi.**

Hac intelligit, scortationem, adulteria, supra, quibus in proprium corpus peccatur, iniquitatis uocabulo, reliqua uitia omnia intelligit, quae sunt extra corpus nostrum 1. Corinth. 12.

**Serua iustitiae.**

Est Antithesis. q. d. Nolite iam abuti mēbris uestris.

C O M M E N T. P. O M E R.

Nam in hoc estis erepti à peccatis, ne posthac uiuatis in eis, membra uestra seruiant iustitiæ, ad sanctificationem uestri, quæ in dies in uobis crescit, ut de fide Paulus dixit Roma. 1.

Cum enim serui essetis.

Hic duplicem habes seruitutem & libertatem, bonam alteram, alteram malam. Libertas iustitiæ, hæc pessima est, et improprie dicta, Vuen eyner uon Got frey ist, und des Teufels eygen, neq; medium est, aut peccatum, aut iustitia. Simile est hoc Psalmi. 87. Factus sum sicut homo sine adiutorio, inter mortuos liber, id est, derelictus, destitutus omni auxilio, tametsi interpretes alio detorserint. Sic hic Paulus: Liberi eratis iustitiæ, id est, derelicti à iustitia, non pertinebatis ad regnum illius. Sumus hodie multi liberi iustitiæ, id est, nolimus habere dominum iustitiæ, uerum Sathanam, cui miseriam seruiamus seruitutem. Hæc omnia in natura nostræ condemnationem dicuntur, quæ nihil aliud facere potest, quàm peccare.

Quem igitur fructum?

Hic urget conscientias ipsorum, sed tamen rationibus humanis. q. d. quid profuit, quam utilitatem inde habuistis? nunc erubescitis, quoties illa recurrunt uobis in memoriam (quemadmodum & nos hodie, nonne pudet fuisse in tanta cæcitate & errore?) Quid igitur inferitis: Ergo peccabimus, cum erubescatis?

Esset



IN EPIST. AD ROM. 68

Esset hoc regnum iustitiæ. ILLORVM.  
Scilicet, quæ faciebatis antea. MORS.  
Id est, æterna damnatio. MANVM MISSI.  
Id est, liberi facti. A PECCATO. Id est,  
seruitute peccati. IN SANCTIFICATI  
ONEM. Scilicet, uestri: iterum Antithesi ex-  
ponit, Scilicet, VITAM. Hanc opponit morti.

Etenim auctoramenta.

Id est, præmium, stipendium, quo aliquis obno-  
xius fit seruituti: non potest aliud præmium consequi  
peccatum, quàm mortem. In quacunq; die comederis.

Donum.

Non dicit, bona opera sunt causa æternæ uitæ, sed  
Dei donum, quia remissa sunt nobis peccata per Chri-  
stum, mediatorem nostrum. Hæc omnia docent, non  
porrò peccandum.

CAP. VII.

Hoc caput, cum multis fuerit difficile intelle-  
ctū, pauciq; post Apostolorum seculum sen-  
tentiam illius attigerint, satis indicat, solum Christū  
habere clauem scientiæ, qua nobis omnia aperit &  
reuelat. Reuelata enim ratione fidei, simul omnia  
quoq; mysteria regni cœlorum aperuit. Esto, sint ali-  
qua in Scriptura que nō satis intelligam, ex clarioribus

Mors Christi  
à lege liberat

locis petam. Sunt uero aperta & clara uerba capituli,  
si quis uideat, eademq; res multis uerbis repetitur, tam  
meti docti quidam nostris temporibus suis scriptis, ea  
se non intelligere, testati sint. Prior igitur pars capituli  
similitudinem de coniugio habet, qua, quæ dicta sunt  
in superiori cap. declarantur. Estq; ea ferè sententia.  
Quemadmodum mulier, mortuo marito, libera est à  
iure illius, ita, ut et liceat ipsi, alteri nubere: Sic nos per  
Christi mortem, legi quoq; sumus mortui, & eius iuri  
id est, liberi sumus à lege, in suiq; Christo, hoc est, no-  
uo cuidam marito, nempe Christo nupsimus, & in eius  
regnum, quod iustitiæ est, translati sumus. Decet igitur,  
ut iam, quæ nouo marito, non mortuo, placeant (quid  
enim illi iam uita functo placeret?) faciamus, ut pote  
iustitiæ fructus. Quid igitur stulte causabitur caro, li-  
beri sumus à lege, ergo peccandum? Sed hæc textus  
clarius dicet.

### Sitientibus.

Id est, illis qui tenent & intelligunt legem, quales  
quoq; tum erant Iudæi per gratiã Dei Christiani facti.

### Quoad.

Non est hæc sententia, sed quoad homo is uixerit.  
Lex quid sit, uel ex superioribus intelligere potes.  
Est sententia quædam generalis, in uiuentes tantum, non  
in mortuos lata, sicuti furibus uiuentibus præcipitur:  
Non furaberis, uita functis, non potest præcipi. Hic ha-  
bes

bes exemplum de lege coniugij, qua dicitur: Sub uiri potestate eris, qua mulier premitur, quàm diu in uiuis est maritus.

### Adultera iudicatur.

Scilicet per legē ALTERI. Scilicet adultero-  
Itaq; fratres.

Hic similitudinem accōmodat: uidetur hęc similitudo mirabilis, & nō satis adposite adducta, cum tamen sit adpositissima. Sic enim habet, cū sumus mortui, per mortem Christi, etiā lex & peccatū nobis mortua sunt: Sicut, quādo maritus mortuus est, mortua est & mulier uiri illius, nō hęc amplius est legi obnoxia, cum et ipsa lex, qua dicebatur: sub uiri potestate eris, sit cū marito mortua: neq; iam potest illi progignere liberos, nupta alteri, nouæ cuiquam legi est mancipata, prioris oblita, facit ergo quæcunq; uiuus uult, nō mortuus ille, & dans liberis procreādis operā, iā nec priori, sed isti nouo parit. Pari ratiōe Christiana uita habet, peccatū, lex, nobis mortua sunt, & nos illis per Christum. Liberi igitur à lege, tanq̃ priore marito, at quia marito carere nō poteramus, eligimus nobis multo beatiorē priore Christū Iesum, huius legi nos subiecimus, cū illo unū facti sumus, & inspiramur uno spiritu. Pari igitur est, ut illi quoq; sobolē pferamus, nempe iustitiā & fructus spiritus, nō respicientes in demortuū maritum, legem. Quid ergo potuit efficacius dici ad præ-

Liberi sumus  
à lege.

COMMENT. POMER.

sentem locū, quo monet, Christianis non peccandum.

Mortificati estis legi.

Id est, nullum ius iam habet in uos damnandi.

Per corpus.

Illi enim insiti estis, & ablati à corpore peccati, iam è carcere & tenebris, in lucem producti estis: habebatis uirum mortis, & tenebrarum principem, iam autem authorem lucis, Christum. N I M I

R V M E I. Est periphrasis Christi.

Fructificemus Deo.

Id est, Deo pariamus iam sobolem, cui iuncti sumus, obliuiscamur prioris mariti, id est, legis, quae nos damnabat.

Cum enim essemus.

Exponit diligentius, quod dixerat, nos legi mortuos. Duplicem uitam describit, alteram carnis, id est, ueteris hominis: alteram spiritus, id est, noui hominis. Haec ad peccatum pertinet, illa ad iustitiā: in carne esse, est spiritu nondum renatum esse, Iohan. 3.

Qui sunt.

Id est, irritantur per legem. Primum, ipsi adfectus per legem, quā mali sint, indicatur secundo per illam, incipiunt insanire, adeo, ut irritentur magis peioresque fiant, tantum abest, ut iustificare possit lex.

Adfectus peccatorum.

Hic uidet



Hic uides quàm stulte Hypocritis in externa opera respiciat, quæ dum simulat, putat se satisfacere legi. *Operibus nõ satisficit legi.* Sed Paulus hic adfectus peccatorum urget, ostenditq; concupiscentiã ex lege, hæc non est in manu mea, sed in corde, uiget in tota nostra natura, per Adam corrupta. Hæc libentius dico propter eos, qui multa de legis abrogatione scripserunt, cum tamen nihil horum, quæ hic scribit Paulus, intellexerint. Ideoq; frustra legeris eorum commentarios, & maxime Origenis in hanc Epistolam. Non solum externum adulterium prohibetur, sed internũ, quod intus sollicitat: ita & de alijs peccatis dicendum.

### Vigebant.

Id est, fortes erant, ut maxime opus externum nõ perficiamus, tamen ipsi adfectus præsto sunt, & semper peccant.

### Ad fructificandum morti.

Id est, priori marito. Hic nos per uim legis, peccatis fecundabat, ideoq; non alios fructus, nõ aliam prolem, q̃ peccatum, ex nobis sustulit. **N V N C V E R O L I B E R I S V M V S.** Per mortem Christi, in qua et nos mortui sumus à lege. **E I.** Legi.

### In qua detinebamur.

Eramus uincti, non erat ulla libertas, quæ iam per Christum data est nobis. Semper enim nos increpabat, die noctuq; hanc uocem in aures nostras intonans:

COMMENT. POMER.

Dilige Deum, dilige proximū ex corde, quod cum cer-  
neremus, non posse nos facere, dicebat: Ergo damna-  
tus es, ira Dei super te. Quid faceremus, tam insuauū  
& inexorabili marito obnoxij? desperandū erat, nūc  
uero uix dici potest, quanta letitia cor nostrum exun-  
det, cum hunc mortuum uideamus, nouoq; id est, Chri-  
sto desponsos. O felicē hanc maritorū cōmutationē.  
SERVIAMVS. Scilicet, Deo. PER NOVI-  
TATEM SPIRITVS. Id est, nō Hypocritice.

Non per uetustatem literæ.

Vt Hypocrite solent. Hic non solum aufert exter-  
na peccata, sed etiam hypocrisim, & omne speciosum  
De litera & spiritu, clarus est locus, in 2. Corinth. 3. &  
supra Cap. 2. Circumcisio nihil est &c. Est uero litera  
Litera & spi- ritus.  
quicquid à nobis dici, predicari, fieri potest operibus  
externis. Sic circumcisionem uocat literam, quod nisi  
de externis operibus intelligas, absurdum erit. Quæ  
enim litera est in præputio, aut quid ibi legitur? Spiri-  
tus est, cor Spiritu sancto innouatum Iohan. 4. In spi-  
ritu, id est, non in externis adoratio fit, & in ueritate  
Id est, non hypocrisi. Præterea & uetustas ipsa, est li-  
tera, id est, quicquid uiribus nostris facimus, uetustate  
uocamus, & literam, nam ut si Christus non uenisset,  
potuissem aut radi, aut non, ieiunare, ire Romam. Cur  
igitur uenisset Christus, si hæc iustificassent me, meis,  
ut illi dicunt, uiribus facta? Sed quia hæc erant opera  
tantum moris, non uitæ, peccati, non iustitiæ. Ideoq;  
necessè

neceſſe erat, aliam iuſtitiam, id eſt, Chriſtum exhibe-  
 ri, qui non per uetuſtatem literæ, id eſt, tantum hy-  
 pocritice impletet, ſed ſpiritu, id eſt, uere. Nam cū  
 lex diceret: Non furaberis, nos quidem legebamur &  
 audiebamus, ſed non implebamus, deerat enim cor pu-  
 rum quod habere, nō erat noſtra poteſtatis, ſimulaba-  
 mus igitur, nos non furari opere externo, cum tamen  
 in corde, cogeremur ſemper furari: uerum Chriſtus,  
 non tantum audiuit & legit: Non furaberis, ſed ipſo  
 corde impleuit, id eſt, adfectui furti non fuit obnoxius,  
 quemadmodum nos: uicit illum, per hoc quod dilige-  
 bat proximum, quod nos natura non poteramus, nec-  
 dum poſſumus. Sic opponenda ſunt uetuſtas literæ et  
 nouitas ſpiritus. Quid igitur inferemus: Ergo pec-  
 cabimus?

### Quid ergo dicemus?

Ab hoc loco, qui ſuperioribus cohæret, uſq; ad fi-  
 nem Capituli, hæc eſt ſententia Pauli. Caro dicit, li-  
 beri ſumus à lege, ergo licet quiduis facere, darem in-  
 quit Apoſtolus, hoc tibi, ſi totus uetus Adam mortuus  
 eſſet in nobis. Ex hoc loco cōmodiſſime intelliges car-  
 nis uetuſtatem & gratiam, nos quidem, qui ſpiritum  
 Dei habemus, ut uelimus eſſe abſq; peccato, & dolo-  
 mus uehementer in nobis eſſe peccatū, ſentiriq; ma-  
 los adfectus, liberi eſſe uelimus, ſed fieri nequit, quia  
 nondum ſumus perfecte mortui, quantum ergo in no-

Legis tyrann-  
 nis ſublata.

COMMENT. POMER.

bis peccati & ueteris Adæ, tantū habet adhuc in nos imperij lex. Ideoq; non perfecte à lege sumus absoluti, quia non sumus perfecte mortui: at hæc nonne contradicunt superioribus? nequaquam. Per gratiam enim Dei, id est, quia Deus mihi fauet, & quod sciam me illius esse filium, sum saluatus, non per hoc, quod non sentiam peccatum. Accidit sæpe, ut filius in domo patris peccet, non tamen eijcitur, ut seruus. Sunt enim ij gradus, ut dicam, gratiæ Dei quæ in nos peruenit. Primo, suscepti sumus, cum impij essemus, remissaq; nobis omnia peccata. Secundo, spiritum accepimus, quo bene & recte ex corde uelle cœpimus. Tertio, quod non imputetur reliquum, quod adhuc in nobis est peccatum, quia spiritu contranitimur peccato, & illud odimus. Atq; hæc summa est gratiæ. Liceret igitur nobis quiduis facere, si uetus Adam totus esset mortuus in cruce: at quia mortuus non est, custodiendus est diligenter, ne de cruce descendat, siquidem nihil magis optat. Est nobis asidua cum illo pugna per totam uitam: non solum ad Christum, sed ad nos quoq; dicunt Pharisei: Si filius Dei es, descende de cruce. Nos dicemus, quia filij Dei sumus, manebimus in cruce, quàm diu caro nostra uixerit. Hic certandum est, hoc opus, hic labor: uult libera esse caro, non suffigi in crucem, hoc ratio, hoc doctrina Sathanæ clamat, sed non est auscultandum illis, in finem perdurandum est, donec totus moriatur Adam,

Spiritus pugna cū carne



um licebit, ut de cruce tollatur: non tamen tunc de-  
 scēdet, quia mortuus est. sed quia donata est nobis uita  
 eterna: non per nos, sed per Deum, quare non quæ  
 nobis, sed Deo placent, facere debemus. Videbis igitur  
 ex hoc loco, totam illam pugnam carnis & spiri-  
 tus, quæ durat per totam uitam. Habesq; eam & in  
 Galatas quinto. Multa enim uolumus secundum car-  
 nem, quæ non sunt facienda, uolumus & quædam se-  
 cundum spiritum, quæ sunt facienda, ex quibus & su-  
 perior, item præsens locus intelligi potest, nam in-  
 ferebant primum, quiduis faciendum est, quia sumus  
 sub gratia, Recte: quæcunque ex spiritu & gratia  
 Dei uolumus, sunt facienda: quæ uero inde non flu-  
 unt, minime sunt facienda. Similiter & hic ex op-  
 posito gratiæ inferunt, quia à lege sumus liberi, ergo  
 quiduis faciendum. Respondet Paulus: Si totus Adam  
 uester mortuus esset, id est, si nihil eorum uelletis, quæ  
 caro uult, affirmare in uos liberos à lege. Sed id consci-  
 entia uestra teste, nondū assecuti estis. Est autē uix cla-  
 rior locus in Scripturis, qui gratiam nobis cōmendat, Gratiæ com-  
mendatio.  
 et aperiat, quàm is est quo discimus, nos iustos esse Dei  
 gratia, quātum etiam interim in nobis, astuet peccatū  
 quod nō uideremus, nisi lex id nobis ostenderet. Quod  
 audiens caro, iterum dicet: Ergo lex malum quid-  
 dam est, nam uiget in adfectibus, & irritat eos. Respō-  
 det Apostolus: Lex Dei est, non potest esse mala, sed

COMMENT. POMER.

ipsum peccatum, in nobis est peccatum, quòd non cernimus sine lege, & quemadmodum egrotus, cui medicus præcipit, ne suilla uescatur, ex ipso præcepto, sumit occasionem appetendi suillam, quòd antea non fecerat. Vbi uides concupiscentiam esse illud malum, quòd magis per præceptum in se bonum excitatum est: simili modo nos per legem peccandi occasionem arripimus, & quòd antea peccatum esse non putassemus, uidemus esse peccatum per legem, quæ bona est: Nitimur inuetitum &c. Quis enim sciisset concupiscere alterius rem esse peccatum? sanctos nos hæcenus esse putauimus, quia faciebamus externa bona opera non uidimus concupiscentiam esse peccatum: nunc enim reuelatur Verbum, quòd iudicat omnem carnem, & uires nostras, relicta fiducia operum desperamus: Nam uidemus, quòd concupiscentia sit uerum peccatum. Clamamus: Lex Dei, Verbum Dei, malum est, quia facit nos peccatores. Ah stultos nos & miseros, nonne morbum tantum damnat, & malum esse dicit

Lex sancta rationi mala uideatur.

egrotus, & gaudet de Medici iudicio, quòd agnoscit morbum? Pudeat nos nostræ stultitiæ, qua Deum accusamus, aperit nobis ex sua misericordia peccatum, in bonam, per legem (quæ nihil aliud est, quam conscientia reuelata) quòd si nobis non bene uellet, non aperiret, relinqueret nos nostro sensui, sicq; fieret, ut nunquam agnosceremus ipsum patrem, auxilioq; eius nobis opus esse: uerum aliud non possumus natura, quam

quàm indignari Deo & legi eius, cum exigit, ut sine puro corde, candidoq; affectu in proximum: nam id non in se inuenit. Itaq; blasphematur bonitatem Dei, qui impossibilia exigit. Sic lex uitio nostro mala est, in se sanctissima. Sed hæc interim Iustitiarum, & sancti illi homines, non uident, quibus uelamen Mosi, per Spiritum Christi, à facie non est amotum. Caue hæc Philosophice interpreteris, labarisq; in crasiores Cymerijs tenebras. Est ergo occupatio, cum dicitur: Quid dicemus, lex peccatum est? Cui Apostolus respondet, Absit: immò non est peccatum, sed cognitio tantum peccati. Sed interim & hoc obserua, duo esse hominum genera, quæ male de lege iudicant. Alterum à dextris, quod est Iustitiarum, qui legi iustitiam tribuunt, atq; ubi eis dicitur, lex auget peccatum, tantum abest, ut iustificet, inferunt: Ergo est inutilis, si non iustificat. Alterum est impiorum, à sinistris, qui ubi audiunt nos liberatos à lege, dicunt: Ergo peccabimus. Præterea ut maxime ostendat peccatum, tamen damnat nos, ergo est mala & peccatum quibus dicitur, non probari peccatum, quod ostenditur per legem, sed cognitionem peccati: quemadmodum in ægroto res habet, morbus est malus, at cognitio morbi bona, uerum uide hæc in textu.

Sed peccatum non cognoui.

Id est, nunquam ipsum quod uere peccatum est, &

radix crassorum peccatorum in externis operibus scisssem, nisi id me lex docuisset.

Nam & concupiscentiam.

Lex enim non tantum dicit: Non furaberis, id est, manu ne sustuleris aliena, & nō adulteraberis, id est, etus pertinet ipso opere carnis ne inquineris. Verum etiam quod omnium maximum est: Non concupiscas rem & uxorem proximi, id est, cor tuum illa non spectet, aut appetat, secundum naturæ crassitiam: quis hoc dixisset esse peccatum, cum omnes respiciamus tantum in externa opera? Quid igitur sunt vires & ingenia nostra, si caput damnationis nostræ, id est, concupiscentiam in corde, non cernimus & deprehendimus? Ex his tenebris & ignorantia, quis emerget sine Spiritus Dei iudicio, qui solus nobis ostēdit, concupiscentiā esse peccatū. Eant nunc Theologi Aristotelici, & iactent suū Aristotelem, lumen naturæ, hic uident omnē suam sapientiā, & acumē pude fieri, tametsi multos libros, de septem peccatis mortalibus, Decem præceptis, & quinque sensibus: item, de summo bono, & beatitudine conscripserint, in ijs uere impletum est, quod Dominus in Propheta dixit: Perdam sapientiam sapientum. Nonne perdita est & confusa? quæ maior esse potuit Sathanæ impostura, quàm peccatum cordis, id est, concupiscentiam, ex omnium hominum oculis & cognitione tolli? quapropter laudandus Deus in secula, qui nobis reuelauit hodie, per suum Euangelium (quod est interpret

pres



pres legis) concupiscentiam esse peccatum. Sed uti-  
 nam, id multi nostrum, nō tantum lingua & ore con-  
 fiteretur, uerum & in corde sentirent illam concupi-  
 scentiam reuelatam: nam uel ex hoc discerent, non ab-  
 uti libertate Euangelij, sed humiliati & contracti spi-  
 ritu, sese submitterent: id quod non faciunt, qui Scri-  
 pturam pro sua libidine torquent, ut non & ipsi poste-  
 riores in Euāgelij ministerio esse uideatur, ad quod eos  
 illa cecitas, & summa impietas cordis urget & impel-  
 lit. Siquidem Christianismi ratio non *Ὀλὰυτία*, aut  
 ambitione fastuq; sed magis sui contemptu & *ταπει-  
 νόσει* constat: sed uiderint ipsi, nam Dominus nos &  
 illos iudicaturus est. Nō est res tam aperta & facilis,  
 sentire concupiscentiā esse peccatum, multi desperare  
 uolebant, ubi in externa peccata incidissent, usq; adeo  
 diuexabantur eorum conscientia: quis horror, quis lu-  
 ctus, quis cruciatus conscientiam uexabit, ubi fontem  
 malorum & peccatorum omnium, ipsum cor, in quo  
 residet tanq; regina, Concupiscētia, esse perspexeris?  
 grauias sane sunt peccata, fructus externi cōcupiscētia,  
 sed multo grauius, est ipsa concupiscētia horū mater.  
 Quae spes ergo nobis poterit ulla esse salutis, si nō pri-  
 mum cōdiscamus matrē, id est, cōcupiscentiā damnare &  
 frustra te adflixeris flagris ppter filios, qui te sollicitāt,  
 id est, externa peccata, si nō primum matrē ipsam cō-  
 das, faciasq; ne tales liberos pariat. Ridiculum est,  
 si quisquam arborum suarum, quas forte in horto habet

In schuuet  
 merios.

Concupiscen-  
 tia malorum.

plurimas, fructus, cum mali sint, & putres natura  
damnet, si nō magis ipsas arbores euellat, excindatq̄.  
Hoc est, quod hic Paulus tantopere sudet in descriptio  
ne, ueri peccati, quod nec natura, nec hypocrisis ui  
det. Voluit ille, nam ipsum uerebatur futurum, ne, ubi  
tantum in fructus peccati defixissemus oculos, in hy  
pocrisin prouolueremur: idq̄; hodie, nostro periculo  
experti sumus. Vide quot sectas Iustitiariorum & hy  
pocritarum, hæc cecitas protulerit, omnes tantum  
in externa opera respiciebant, nemo in cordis maliti  
am. Quisq̄; conabatur effugere & uitare crassa pec  
cata, hoc ubi speciosissime fiebat, statim se sanctum &  
dignū, qui coronaretur à Deo, putabat: at si quis ijs  
neglectis, in cor spectasset, illudq̄; neutiquam muta  
bile suis uiribus uidisset, non equidem, in has laruas iu  
stitiæ carnis lapsus esset, uerū desperasset, opemq̄; tan  
tum benigni patris implorasset. Hæc obiter propter  
infirmiorem nostram monui, quæ non ueritatē ipsam,  
sed umbras tantū metitur, sed ad textum redeamus.

Sed occasione accepta, peccatum:

Scilicet, quod erat in me, & latebat in corde meo,  
me ignorante. GEN VIT. Id est, excitauit  
PER PRÆCEPTVM. Scilicet, illud: Non  
concupisces.

**Omnem concupiscentiam.**

Id est, Tum coepi habere conscientiam de peccato  
cōcupiscentiæ

concupiscentiæ, nam antea nesciebam esse peccatum, putabam tantum per legem opus exteruum prohiberi: at cum uidi & adfectus damnari, coepi eam odio persequi. Hic ridendi ueniunt magni illi scripturæ interpretes, qui dixerunt tantum Ceremoniarum legem per Christum abrogatam. Quod esset hoc Christi beneficium? inutile sane? per Christum omnis lex est abrogata, & nisi hodie quoq; in nobis abrogetur per fidem, detinebimur in illius damnatione perpetuo. Lex dicit, Non concupisces hanc legem, nisi in te mortuam uideas, & abrogatam per Christum (quod fit, ubi integro & candido es animo in proximum, & in quem si fieri posset te totum uelis profundere omni propensione & officio) semper odio habebis Deum, dicesq; ipsum malam tulisse legem.

Siquidem absq; lege.

Id est, cum mihi lex nondum esset reuelata in corde, quæ nõ est lex literæ: lex enim tum est uere lex, quando mihi est lex, id est, cum reuelat mihi irã Dei in corde propter peccatum.

Peccatum erat mortuum.

Non agnoscebatur per me, nec eam eius mihi conscius, nempe peccati concupiscentiæ.

Ego autem uiuebam sine lege quondam.

COMMENT. POMER.

Id est, absq; reuelatione peccati, uide in Philip. & Gala. h. Viuebam, inquam, in carnis iusticijs, eran q; optimus iudeus, & in speciem utr sanctus. Attamen id fiebat sine lege, non uidebam illos malos cordis adfectus in me. Tales nos hactenus sumus Hypocrite. putabamus legem tantum externa opera bona exigere, non cor integrum & purum: quisq; in seipsum dirigat actem, & intelligat se olim non habuisse ullā conscientiam de concupiscentia.

Veniente mandato.

Id est, ubi reuelata est mihi lex in corde.

Reuixit peccatum.

Id est, peccatorum adfectus, in me irritabantur.

Ego uere mortuus sum.

Id est agnouī per legem peccatum & damnationem: antea sancte uiuere uidebar, cum sine lege uiuerem, nunc reuelata lege, non uiuo, sed mortuus sum, id est, uideo me Verbi Dei esse contemptorem. Nam cum lex dicit: Dilige ex corde, non possum. Cōsequitur igitur me esse mortuū, id est, nihil habere iusticiæ & plānē damnatum esse.

Et repertum est mandatū, quod institutum erat ad uitam, mihi cedere ad mortem.

Id est, lex, quæ præcipiebat, ut cauerem malum, ut

Adamo



Adamo dictum est: Quaecunq; die comederis, morte morieris, malum prohibet, & exigit bonum, sed uires hoc faciendi non praestat, & quo magis id urget in nobis, hoc magis damnatio nostri ob oculos nobis ponitur: hinc recte sceptrum exactoris uocat eam Prophetia: Exigit bonum à nobis, atqui nihil boni in nobis est, prohibet malum, & nihil aliud sumus, quàm malum. Cōuincimur ipso Chirographo peccati, id est, testimonio conscientiae nostrae, nos non facere bonum. Quo palàm sit, ut lex, ex qua uitam speraram (nam iusticiae eam quaerunt in illa) me occidet & non uiuificet: mandando nunquam efficere potest, ut quod deliquimus, opere aliquo bono restituatur. Opus est ergo ad uitam non legis operibus, quae facere non possum, sed condonatione peccati & gratia Dei. Quemadmodum homicida quispiam, quomodo resuscitabit occisum suis manibus? Ab eo peccato, hic coràm mundo liberari nequit, nisi ipsi homicidiū condonetur, ita malum nostrū quod facimus, nunquàm per legis opera expiabimus, imò per eam magis damnabimur.

Lex omnes  
nos reos san-  
cit.

**Nam peccatum.**

Experientia doctus sum, meo uitio mandatum mihi  
cessisse ad mortem.

**Per praeceptum.**

Id est, legem in corde reuelatam.

**Decepit me.**

COMMENT. POMER.

Lex occasio  
peccati.

Non lex me decepit, sed meum peccatum, meum malum & vitium, tamen si ipsum præceptum occasio- nem decipiendi me, peccato dederit, in hoc tamen nõ lex, sed ego sum accusandus. Vt æger occasionem pec- candi, id est, edendi quæ non conducunt, ex mandato medici præscripto accipit, ita nostrum peccatum, per legem irritatum insolefcit.

Et per illud

Scilicet, peccatum, occidit me lex, quia ipsa est vit- tus peccati, habetq; ius occidendi peccatores.

Itaq; lex sancta,

Quia Dei est, est enim peccati agnitio, uetatq; ma- lum, ideoq; mala esse nequit.

Ergo quod bonum,

Alia est Occupatio, sic caro infert: Lex cum sit bo- na, mihi facta est mors & damnatio, quæ sanè non est, nisi pessima res, ergo non potest esse, aut dici bona, Respondet Apostolus.

Abfit.

Quasi diceret, impietatis hæc sunt argumenta, & Dei blasphemia.

Imo peccatum.

Est mihi mortis causa, per legem quæ bona est, in hoc, dum ostendit mihi ipsum peccatum, quod latebat in corde, me nesciente: uoluit lex prohibere & osten- dere mihi

dere mihi concupiscentiam, dumq; id egisset, cepti in  
 sanre, cognouiq; per eam me damnari, tamen si id non  
 agebat primum, at magis ut peccatum cognoscerem:  
 meo uitio ergo factum quod lex mala uideri poterat.

Quemadmodum culter, qui factus est in bonum usum  
 sciendendi panis, bonus est, at si eo abutar, me hoc occi-  
 dendo, malus diet posset, cum tamen malus non sit. Sic  
 de legis officio iudicandum erit, non est hæc mala, at  
 si abutar, mala uideri potest. Est enim finis & officium  
 eius, reuelare peccatum, non damnare quenquam. At  
 si te damnet, non fit, nisi tuo uitio & cæcitate, qui nõ  
 uides sub ipso officio legis, id est, reuelatione peccati,  
 incundissimum quiddam latere, nempe urgeri ad grati-  
 am. Qui igitur sic lege utuntur, sancte utuntur, ut uis-  
 des in Dauid, Ezechia, item Petro. Qui autem tan-  
 tum in damnationem figunt oculos, non obseruantes  
 gratiam, sub reuelatione absconditam, ij pereant ne-  
 cesse est, nam lege abutuntur, ut in Iuda, Saule, Cayno  
 cernimus: non enim in hoc suis reuelat peccatum Do-  
 minus, ut excidant ab eius misericordia, sed ut discant  
 misericordiam agnoscere. Itaq; ait recte Apostolus: ip-  
 sum peccatum est mihi operatum mortem per legem,  
 quæ hoc faciebat, ut appareret mihi, & notum fieret  
 peccatum. Ante hanc reuelationem, nõ putabam esse  
 tantam uim concupiscentiæ, nunc uideo & sentio ue-  
 hementer potentem, ac prorsus insanientem in carne  
 mea. Hic succumbo, & incido in Dei blasphemias,

Peccatū mor-  
 tis causa.

Legis officio  
 um.

COMMENT. POMER.

uelimq; legem non esse: non aliud uideo, quàm damnationem, & Dei iram in me, quo magis enim peccatum considero, eo fit fortius & potentius. Hoc necesse est, omnes homines sentiant, dum reuelatur eis peccatum, & nisi monente Dei Spiritu, obseruarint sub illa reuelatione subesse gratiam, fieri non potest, ut salui fiant, nam deglutit eos infernus, & uincit magnitudo peccati.

Scimus quod lex spiritualis est.

Causam reddit superiorum cum dixerat, nō conuenire inter legem & homines. Sed interim non præterenda est ineptissima quorundam huius loci interpretatio. Nam sic exponebant, Lex est spiritualis, id est, libri sacri debent intelligi spiritualiter, id est, Allegorice: similiter, cum Mosē exponerent, Creauit Deus cœlum, id est, bonos, & terram, id est, malos. Quæ sunt hæc portenta? nonne τῶν κοβισῶν καὶ μὲν τοιοῦτοῦ, quibus non exponitur, sed destruitur uniuersa Scriptura. Haud aliud conantur nostri quidam noui spiritus hodie, quibus quoq; uolupte est, inuertere quiduis in Scrip. Erat simplex Grammatica, & uis uocabulorum obseruanda, at quia illi tantum spiritus, non Grammatici esse uolunt, ideo contemnunt & nihil faciunt huiusmodi minutias. Porro, si quis hunc locum cum hoc pacto interpretabitur, quid consequetur fructus ex toto hoc Capite? Imò, totius Epistolæ lectione frustra



frustrabitur, quare mirū non est hanc semper obscurā  
 fuisse, quippe, cum ipsi qui debebant lucem addere, in-  
 terpretatione aperta, offunderint tenebras. Verū hæc  
 est sentētia: lex est spiritualis, id est, requiritur spiritua-  
 lia, non carnalia, aut externa, nō impletur, quando ope  
 re ipso abstinēs ab alienare, aut uxore proximi, sed re-  
 quirat spiritum, id est, ne quid tale in corde tuo sentias,  
 quo cupias rem alienam, atq; puro & integro sis adse-  
 ctu in omnes: id ubi natura, quia carnalis es, audierit  
 terretur, & necesse est, ut emoriatur. Proinde, si spiri-  
 tus impio cogatur obsequi, crucifigitur, inuitaq; quic-  
 quid est spiritus legis fert. Hæc ergo est illa pugna car-  
 nis & spiritus, quam nemo non sensit sanctorum, pro-  
 ponitq; seipsum exemplum: non autem audimus, qui  
 dicunt: non loquitur de se Paulus, sed in persona carna-  
 lis hominis. Quid aliud hi faciunt, quàm quod saxa &  
 truncos ex sanctis facere uolūt, & quasi nunquàm sen-  
 serint peccatum? Sed apertus est textus, clare uidebis  
 de carnali homine non posse intelligi. Ego uuebam si-  
 ne lege: item, in me repertum est &c. Quare non nisi  
 de Paulo intelligitur hic locus, & in eo de omnibus, in  
 cuius exēplo, nos æstimare possumus reliquos sanctos,  
 cum sumus omnes eiusdem massæ: non carent illi pec-  
 cato, dum in hac carne degunt.

Pugna carnis  
& spiritus.

At ego carnalis sum.

Id est, non sum Dei amans, sed mihi, quæ ero mea,

COMMENT. POMER.

cum lex iubeat, ut non nostra, sed aliorum & Dei queramus, quare meo uitio lex mihi mala est.

Venditus sub peccatum.

Durissimum dominium sustineo, factus mancipiū alludit autem ad seruos, qui olim uendebantur, & nūc alicubi, in perpetuam seruitutem. Vides igitur, quam multa ad huc sanctis desint. Sāctus erat Paulus, at quid in seipso desyderet, uides uel ipsius testimonio.

Quod enim ago, non probo.

Declarat hanc seruitutē suam, id est, quicquid ago, hoc mihi displicet, nam uideo nihil fieri sine reliquijs peccati: nihil mihi conscius sum, tamen in hoc non iustificor.

Non enim quod uolo.

Spiritu. HOC FACIO. Scilicet carne: nam caro pugnat aduersus spiritū, Galat. 3. Nam quicquid est natum, ex muliere & Adam, peccatum est.

Quod odi.

Id est, nolo secundum spiritū. HOC AGO. Scilicet, per concupiscentiam, quæ est in me, id est, uelim nolim, cogor esse peccator, quod sanctus sum, ex gratia habeo, non meo merito.

Si uero quod non uolo.

Secundum spiritum. HOC FACIO.  
Scilicet, carne. CONSENTIO LEGI.

Id est,

Id est, tum ipsa experientia cordis nostri docemur legem esse bonam, nam spiritualis homo conscientiam peccati sentit & uellet abesse, & in hoc quod uelit abesse, consentit legi, id est, dicit legem esse bonam, siquidem cogitat, legem debitorem facere: at non facto, tamen mihi non desperandum est, sed dicendum quotidie: *Dimitte uobis debita nostra.*

**Nunc autem non iam ego per petro illud.**

Id est, quia ego non consentio peccato, uelim illud abesse: mordet enim peccatum illud naturam meam, uelut pediculus quidam, quem inuitus sustineo.

**Sed inhabitans in me peccatum.**

Id est, morbus ille naturae, seu quod peccatum uocant originale.

**Noui.**

Id est, ego, qui spiritum Dei habeo, & cuius iam beneficio mihi lex reuelauit peccatum.

**Quod non habitet in me, hoc est, in carne.**

Video me, quantus quantus sum, esse nihil aliud, quam peccatum. Ecce hic totum hominem damnat, ubi iam inuenies Lib. Arb. & preparationem ad gratiam? nunquid ex turbido fonte, puram aquam hauries, num ex malo arbore, fructum bonam petes?

COMMENT. POMER.

Nam uelle adest mihi.

Id est, per gratiam quidem id habeo, ut quæ bona sunt, uelim facere.

At ut faciam bonū non reperio.

Id est, in meis uiribus non est: itaq; non loquitur hic de manu, sed ipso corde, quod non uult ex natura bonum facere, ergo bonum in hac uita est, uiuere pura conscientia & corde, omni momento, ut in nullo deficiat. Sed quis est ille, & laudabimus eum? Nō enim q; nolo, scilicet, spiritu, facio bonum, scilicet, in carne.

Sed quod non uolo, malum.

Scilicet, spiritu, hoc ago, scilicet, carne, perpetuo reluctor, & crucifigo carnem, neq; erit finis colluctationis huius, priusquam tota emoriatur.

Reperio igitur.

**Lib. Arb.** Duo, inquit, in me reperio, carnem uolentem malum, & spiritum repugnantem carni. Vana sunt igitur commenta eorum, qui somniant hic Lib. Arb. tribui homini, quo uelit bonum, cum Paulus non de ullis uiribus in nobis intelligi uelit, sed ipso Spiritu Dei, qui uult bonum, qui operatur in nobis, & uelle & perficere, pro sua in nos bona uoluntate. Præterea insaniunt & illi, qui hic sensualitatem fingunt, quæ tantum uult malū. Nonne est hoc expuere in faciem Iesu, & a lapis cedere?

**Natura male dicta est.**

Totum hominem, quantum est secundum naturam,

dicis



dicit nihil boni posse, uelle, siue dicas Lib. Arb. siue rationem. Ingeniū & quicquid est in homine, omnia sunt maledictioni obnoxia, quæcunq; cogitas, uis, aut contendis ex natura tua, aut sapientia carnis: Ait enim Paulus: Reperio, id est, perspicio tandem per legem Dei, quæ mihi bene uult (nam tantum in hoc mihi reuelat peccatum, ut discam diffidere meis uiribus, & Dei misericordiam inuocare) quod dum bonum facere uolo (quod non ex me, sed spiritu Dei fit) mihi adiunctum sit, id est, innatum & insitum in carnem meam totam, malum, id est, peccatum, hoc est, illud tantum me uelle uideo secundum meas uires, quod est contra Deum: & ut in summa dicam, partim sum spiritualis, partim carnalis, neuiquam conuenit inter uoluntatē spiritus & uoluntatem carnis.

### Delectat me lex.

Hæc non sunt carnalis hominis uerba, sed spiritualis, quomodo enim delectaretur in lege Dei, caro? cui maxime displicet, intelligit ergo per internum hominē nouam creaturam, de qua Christus: Nisi quis renatus fuerit ex spiritu sancto.

### Sed uideo aliam legem.

Id est, est alia uis in mea carne, quæ repugnat legi mentis, id est, spiritui sancto in corde meo, quæ uis me captiuum tenet sub lege peccati, id est, uideo peccatum in me nondum esse totum mortuum, uiuit, &

Peccatum nō planè emoritur in nobis.

COMMENT. POMER.

carnis indulgentia illi adblanditur. Habet caro sua desideria, que hic Paulus legē uocat: habet & spiritus, inter que duo, nunquam conuenit. Spiritus dicit: Non concupiscas. Caro dicit: Ego concupiscam. Hęc cum sic se in nobis habeant, nonne ingemiscemus cum Paulo dicentes?

Miser ego homo.

Est exclamatio. EX HOC CORPORE, id est, hac carne, ab hoc peccato, nam uideo me morti per hoc obnoxium fieri: per peccatum enim mors introiit in mundum. Vide quā doleat Paulus, & homo spiritualis est sub lege carnis, uelit ab hac liberari, sic suspirant ad Deum omnes sancti.

Gratias ago Deo.

Antea cum dixerat: Miser ego homo, respexerat Paulus in suum peccatum, hic respicit in gratiam Dei, q. d. utcumq; seuiat damnatio, mors & peccatum, tamen scio me in gratiam Dei, susceptum per Christum: quod ad me attinet, peccatum non possum superare, cogor desperare: uerum ubi uideo Deum esse patrem Christi crucifixi, & ita esse patrem illius, ut per hoc quoq; meus sit pater, quomodo non gestam, quomodo non gaudeam & exultem? siquidem iam uideo omne illud peccatum esse abolitum & non imputari. Lubens ergo, quia Deus uult, sustinebo in me peccatum, contranitar, Dei uirtute, non permutam illi ut dominetur.

Hęc

Gratię uis  
maior peccato.

Hæc omnia eò spectant, ut intelligas, quod dixerat, peccatum in nobis nondum planè esse mortuum, sed per perisiam pugnam nobis esse cum reliquijs, quemadmodum ludæis olim cum Chananæis.

## CAP. VIII.

**H**IC longius psequitur, q̄ antea dixerat: Gratias ago Deo per Christū. q. d. Peccatū in me est, in quod dum uideo, concutior horrore, sentioq; damnationem: at cum in Dei gratiā oculos dirigo, uideo nullam damnationem. Estq; hoc proprium sanctorum, qui Sancti quoq; nō negant se habere peccatū, & peccatores esse, quod peccatores sunt. magna læticia spiritus dicant: Nulla est in nobis condēnatio, peccatum non potest nos damnare, ut maxime in nobis sit. Siquidem est spiritus Christi in nobis, cui displicet peccatum, non posset autem displicere, nisi id ex Deo haberemus. Natura ita sumus adfecti, ut oblectatio quædam sit nobis in peccato: secundum spiritū uero, est summus cruciatus & displicentia. Stulti ergo sunt, qui sanctis peccatū adiūnt: est uere in illis peccatū, sed sine cōdēnatione: sunt filij Dei, nō serui, ut olim sub Mose, q̄ in resurrectione palā fiet. Nō sunt ergo predicatores gratiæ, sed contemptores, quicunq; docent, sanctos absq; peccato fuisse, cōtra fidem sacrarū historiarū. Quomō enim nō resiliemus à Dei misericordia

uidentes illos quasi non peccatores, saluos esse factos?  
 Vna sumus cum his massa & caro peccati, quod ut glo-  
 rificetur Dominus, nos confiteri aduersus Sathanam  
 oportet.

Nulla igitur nunc est condēnatio.

Quamuis peccatum est reliquum, quod non con-  
 demnat nos, nam ut hostem odimus illud.

His qui insiti sunt Christo.

Vnum sumus  
 cum Christo.

Id est, qui sunt facti uiuum corpus per fidem, nam  
 ipse caput est, nos membra, cui insiti sumus, ut uxor  
 marito, ubi ex duobus corporibus una sit caro, omnia  
 item sunt communia, quæ mariti sunt, ad uxorem  
 quoq; pertinent, & quæ sunt uxoris, & in maritum  
 transferuntur. Itaq; illam nostri cum Christo unio-  
 nem, uix rectius capies, quàm ex coniugij ratione: cum  
 Christo per fidem coniungor, iam iusticia, fortitudo,  
 gloria, uictoria, & quæcunq; sunt in Christo, mea  
 sunt, & quæ mea, sunt illius, peccatum meum in se  
 transfert, absorbet & consumit omnia mea mala, suo  
 bono, nempe meâ iniusticiâ, sua iusticia tollit: mortem  
 meam, sua uita superat: In summa, qui Spiritum Christi  
 habent, illi sunt eius, quemadmodum inter coniuges,  
 unus spiritus & fides, facit unam carnem: Sic qui Do-  
 mino adherent, unum sunt cum eo corpus, sed hoc de-  
 clarat sequentibus.

Qui non



## Qui non iuxta carnem ambulant.

Non dico, qui non habent peccatum, aut illud nō sentiunt, sed qui id habent & uere sentiunt, at non obsequuntur, imō pugnant contra illud, odiunt maxime, iuxta illud quod supra dixi: Non quod uolo, hoc ago. Est uero iuxta carnem ambulare, nihil aliud, quàm Deum non timere, nullam habere salutis, aut Dei rationem: quales sunt etiam, qui Euangelici hodie uidentur, omnia contemnescentes & confundentes, cum interm nihil aliud querant, quàm sua, non quæ Dei sunt, aut proximi, ut spiritualis homo, qui & Dei & proximi summam habet curam, igitur addit.

## Iuxta spiritum.

Id est, qui legi Dei consentiunt, & dicunt Lex oris tui, super milia auri & argenti, tametsi caro repugnet illis, sed sciunt hanc uitam esse militiam, in qua nihil aliud expectandū est à carne, quàm perpetua pugna: insultatio & insidiæ Sathane non quiescunt.

## Nam lex, spiritus uitæ.

Duplicem hic legem tangit: Alteram spiritus uitæ, id est, spiritus uiuificantis: Alteram literæ, id est, mortis & damnationis. Vtilissimus hic locus est imbecillis & adfluctis conscientijs, quæ cum uident, se urgeri per legem ad peccatum, per peccatum ad mortem, ingemiscunt, & serè succumbunt per desperationem, tanta est tyrannus illius legis, quæ excitat peccatum,

Legis terror.

COMMENT. POMER.

Spiritus con-  
solatio.  
Lib. Arb.

Et post peccatum excitatum, reuelat æternam damnationem, & nisi illucesceret eis Christus ( qui spiritum patris sui nobis impetrauit ) deglutirentur ab inferno & Sathana. ille igitur spiritus, est noua lex, non exigens, non crucians conscientias, sed securas ipsas reddens, dicitq;: Quid est, quod affligamini? ut maximo peccatum in nobis sit, tamen illud non obest, est remissum, non potest uos occidere. Sic fit, ut tales conscientie ex lege mortis, & ipsa morte, per legem spiritus uiuificantis, in uitam reuocentur. Ideoq; conuenientissimo uocabulo, spiritum uitæ, eo quod uiuificet cor, appellat. itaq; cum ait: Quare non est condemnatio in me? Respondet, quia lex spiritus uiuificantis me, & illuminatis conscientiam meam, liberauit me à iure peccati & mortis, id est, à sententia & lege damnationis, cui debebã esse obnoxius propter peccatum.

Etenim quod lex.

Hic nequaquam ferendum est, ut transferas ea parte, uerum sic, Etenim quod lex prestare non poterat, quando ( aut si mauis, quia ) imbecillus erat &c. Hic locus uel solus satis esset, ad conuincendos Lib. Arb. adsertores, quod lex etiam diuina, imbecillis erat propter carnem & naturam nostram, nihil illa potuit prestare ad salutem. QVOD. id est, quam iustificationem nostri.

Quia imbecillus erat.

Hebraice

Hebraice dictum est, id est, non implebatur: exigebat illa quidem, at utres non suppeditabat, ut impleretur. In tertio Cap. contrariæ sententiæ est Tropus, Legem stabilimus, id est, docemus legem impleri per fidem. Ex eo loco rectius & hunc intelliges: iam præstatur, quod lex exigit, olim uero non præstabatur, cum adhuc essemus sub dominio peccati, & affectuum nostrorum. HOC id est, hanc iustificationem præstitit nobis Deus per Christum, quem misit in hunc mundum. Hic uide, quæ possit in nobis esse damnatio, cum satisfactum sit pro peccatis nostris, per Christum datus est Dei spiritus, quem & ipse emeruit nobis, huius uirtute implentur omnia, quæ lex exigit: peccatum dimittitur, manetq; in nobis uera iustitia, per solam gratiam non nostrum meritum. Porro & ex hoc loco, quæ sit libertas Christiana, & legis abrogatio, clarum est: non sic abrogata est, ut quiduis facias. At tum uere est abrogata, quâdo nihil in te inuenerit, quod accuset aut damnet. Præterea magna quædam est misericordissima in nos dilectio, quod proprium filium miserit, nam si quid aliud charius & nobilius habuisset, misisset utiq;. Est & in hoc æstimanda peccati uis & potètia, quæ si alio quodâ modo, aut per ullâ aliâ creaturâ, aut per nos tolli potuisset, cur ipsum filiû misisset: is igitur solus est nostra iusticia & certissima anchora, ad quâ cõfugiamus.

Libertatis  
Christianæ  
usus.

Sub specie carnis.

COMMENT. POMER.

His circumstantijs Christi exinanitio, proinde & dignitas quam pro nobis habuit, declaratur: nostram inquit, carnem Christus habuit (quæ semper est obnoxia peccato (attamen cum esset in Christo, absq; peccato semper fuit. Erat itaq; caro illius, nostra caro, habens etiam speciem peccati, tamen si in ea illud non fuerit, tamen propter nos, nostro peccato, & totius mundi, hic unus homo Christus Iesus, grauißime coram Deo obnoxius factus est, cum non eramus soluendo.

At de peccato.

Scilicet, quod ipse factus est pro nobis. 2 Corinth. 5.

Non factus est peccator.

Nam nunquam peccauerat, sed ipsum factus est peccatum, & maledictio, ut nos à peccato liberaremur, ut in Esa. 53. uides: Deus in eo posuit iniquitates omnium, Et, si posuerit peccatum animam suam, id est, si suam uitam, se totum, quantum quantum est, fecerit peccatum uel ut sit nihil aliud, quam peccatū, uidebit semen longæuum &c. Ideoq; ait, de peccato, aut per peccatū, quod ipse factus erat, condemnauit peccatum, scilicet nostrum, idq; per carnem, scilicet, suam. In summa, factus est peccatum, ut nos innocentia fieremus: factus est mors, ut nos uita essemus: factus est maledictum, ut nos essemus benedicti, iuxta promissionem: in semine tuo benedicentur omnes Gentes. Sed hæc omnia Textus habet. Quare hæc factus est Christus?

Ut iustificet



Ut iustificatio legis impleretur  
in nobis.

Hanc iustificationem quidem lex exigebat, sed non  
prestabat, nam ex operibus legis, non est iusticia: Ergo  
illa impletio, non est nostrarum uirium, sed per Christum  
facta.

Qui non secundum carnem.

Ne quid sapientia, aut temeritas carnis hic audeat,  
in nobis, inquit, impletur iustificatio legis, qui sumus  
assidui in excubijs spiritus, contra insidias carnis, aut  
qui nihil permittimus carni, uerum omnia per illum spi-  
ritum, nobis per Christum donatum, fiunt. Nemo ergo  
carens hoc spiritu, implet legem: precipitur, ut dili-  
gas proximum, non potes ex tuis uiribus, potes autem  
ubi hunc habueris.

Nam qui carnales sunt.

Id est, qui non habent spiritum Dei, ea quae carnis  
sunt curant. Vides Paulum, non de corpore nostro, aut  
carne tantum, quemadmodum quidam somniant, ubi car-  
nis uocabulum audierint, uerum de eo toto, quod nos  
sumus, id est, de omnibus nostris uiribus, quae sunt in  
corpore & anima nostra: non in appositum ergo fue-  
rit si legas, procurant, sapiunt, id est, ipso adfectu sen-  
tiunt. QVAE CARNIS SVNT. Id est, mundi-  
nempe carnalia, in quibus sese totus homo oblectat.

Caro quid in  
Scrip. signifi-  
cet.

At qui spirituales sunt.

Id est, spiritum Christi habent, sapiunt ea quæ Christi sunt & illius spiritus. Damnantur ergo hic optimæ quæq; intentiones, ut uocant, & omnia nostra quantum uis speciosa studia, ut uerū sit, quod infra dicit Paulus: Quicquid non est ex fide, peccatum est.

Nam adfectus carnis, mors est.

*Vires humane nihil sunt.* Id est, illa prudentia quæ est in nobis, ratio humana omnes uires hominis, sunt mors: hoc est, nihil ualent in ijs, quæ Dei sunt, non potes harum præsidio saluari. Ad quid igitur, utilis ratio humana aut φρόνημα? Ad gubernandam Remp. ciuiles mores formandos, colendum agrum, ad ædificandum, quæ omnia ita fiant, ut in illis confidas, aut conquiescas. Non enim licet Christi ano homini in creaturis ponere spem suam. Si uero quis uoluerit ijs ui, uelut instrumentis uitæ æternæ & salutis, hic opera mortis facit, quæ coram Deo non uiuunt nam hac parte, nihil aliud sunt quàm mors, humani conatus.

Adfectus uero spiritus, uita.

Id est, prudentia & sapientia, quæ est ex solo Deo per gratiam, quæ & facit nos sapere spiritualiter. Id est, ea quæ Dei tantum sunt, non carnis nostræ, illa inquam, nihil aliud est quàm uita & pax, nam per eam qui eramus mortui per peccatum, reuiuiscimus, habemusq; pacem & tranquillitatem in conscientia nostra, iam non

iam non mordet nos & affligit stimulus mortis, ipsum  
peccatum.

Propterea quod adfectus carnis.

Ecce quicquid sapit caro, quando sine spiritu Dei,  
& Verbo sapit, carnaliter sapit, & ut maxime Verbum **Carnis sapi-**  
babeas, audias, abuteris eo, si spiritu uacas: ergo quic- **entia.**  
quid homo intelligit per se & rationem humanam, id  
totum est contra Deum, neque hic fingere potes ullum  
medium, dicit enim crassissime: Inimicitia est aduersus  
Deum, & seipsum clarius interpretatur.

Nam legi Dei non subditur, neque  
enim potest.

Egregium hoc est Lib. Arb. Encomium; nouit Pau- **Lib. Arb.**  
lus futurum, ut totis buccis quidam disputaturi essent  
de Lib. Arb. defensorumque eius partes, non potest, inquit,  
facere & uelle ea quae Dei sunt, caro & eius sapientia,  
uelit nolit, cogitur esse inimica aduersus Deum, nam di-  
xit Christus: Qui nult uenire post me, abneget semetip-  
sum: Non dicit carnem, ne & ibi torqueas Christi Ver-  
bum, quo significat, quicquid est omnis homo, id totum  
mecum pugnat, inde oramus: Fiat uoluntas tua, non  
nostra. itaque stultitia fuit, quod haecenus Monachi, dum  
sua sapientia & bona intentione, sinxerunt secundum  
suas cogitationes Deum, cum tamen non uelut fingi, aut  
formari à nobis, uerum nos fingi formarique per illius uo-  
luntatem necesse est. Valeat nunc regula & obseruatio.

COMMENT. POMER.

Monachorum, quibus obstringunt conscientias, quæ omnes ex hoc fonte impietatis naturæ maledictæ emanarunt.

Qui uero in carne sunt, Deo placere non possunt.

Qui non sapiunt secundum spiritum, impossibile est, ut placeant Deo.

Vos autem non estis in carne.

Id est, uos qui Christiani estis, non estis carnales, sed spirituales: non ideo autem estis Christiani, quia Cappas & Blattas habetis, sed si spiritus Dei habitat in uobis, operatur & agit oia, nihil relinquens carni.

Quod si quis spiritum Christi non habet, non est eius.

Id est, non est Christianus. Ecce hoc uno uerbo damnatur, quicquid est in natura nostra: cuius tum est, qui hoc spiritu caret? Sathanæ, etiã si sanctissimus sit Papistarum, sapientissimusq; omnium Philosophorum aut principum mundi, uixerit quantumuis caste specioseq; steruus est coram Deo, necesse est omnia regenerari & innouari, Iohan. 3.

Porro si Christus in uobis est.

Summa hæc est consolatio sanctis in carne adhuc uiuentibus, propter se sunt damnati, propter Christum uero iustificati, quare peccatum non potest eos turbare aut



re aut affligere, & ut maxime quandoq; in eis estuēt non promouet quicquam, non eunt inficias se habere illud, sed gaudent per Christum abolutum. Dicunt enim ex corde, hic est nostra iusticia, hic peccati mors & uictoria, non omnes portæ inferorum cōtra hunc præualebunt, itaq; inquit, si Christus, id est, Christi spiritus.

### Corpus.

Id est, caro. Totum quod sumus secundum animam, & corpus mortuum est, siquidem eius adfectus, iā non dominantur.

### Propter iustificationem.

Scilicet, quod in uobis est: aut si dicas, mortuum est corpus ipsi peccato, agitatur iam nobis quibusdam adfectibus, quibus abolentur adfectus carnis. Id uero durat per omnem uitam, semper moritur caro, semper noua uita augetur, donec totus Adā fuerit abolutus, toti q; ipsa uita facti fuerimus. Ergo SPIRITVS qui in uobis est EST VITA Scilicet uestra.

### Propter iustificationem.

Nam per eum iustificamini. Hæc est gratie Dei Gratia con- prædicatio, propter quam peccatum non imputatur, temnitur- quam audientes hodie, fastidimus, incipimusq; iædere, nauseat anima nostra super hoc cibo, quemadmodū filij israel super mannate. Nam non facilliter intelligitur uis fidei, & dum hanc negligimus, necesse est, ut

noua quaedam inquiramus, disputamusq; uarie, curiosissimèq; nunc de Sacramento, nunc de Resurrectione, item de Libertate Christiana, reliqua innumera, nō ad credendum, sed disputandum, ne non sinus aliquid.

Quod si spiritus eius.

Spiritus Dei  
opus in nobis.

Vide quanta diligentia, hic charitas urgeat, caput nostrae salutis. Tam est totus in illa gratiae praedicatione Paulus, ut uereatur, se non satis dilucidis uerbis, sententijsq; illam describere posse. Repetit ergo quae hactenus dixit, subinde dicens: Spiritus regnat in uobis, spiritus impellit, uiuificat uos, spiritus mortificat carnem uestram, omnia agit spiritus: Et si ille omnia agit, habitans in uobis, ergo & excitabit, nouā uitam infundet, facietq; ut quod mortale erat, aboleatur, ac deinde uiuifietur. Pater enim p̄ illū ipsū spiritū, Iesum à mortuis excitauit, excitabit & uos. Finis ergo & cōsummatio uē principii nostri baptismi, est ille spiritus: aqua quae baptismus externe, statim transit, sed spūs ille purgat p̄ totam uitā, usq; in finem, quousq; cadat hic animalis homo, & resurgat spiritualis. Proinde hic locus Hæreticos illos conuincit, qui negant unum & eundem esse Christi & Dei patris spiritum, procedit ille ab utroque: estq; unus & una uita Dei & Christi, nā antea dixerat si spūs Christi habitat in uobis: & postea, si spūs eius id est, Dei patris, habitat in uobis, quae planè de eodem spiritu dicta sunt à Paulo. Hæc obiter indicare uoluimus, non

mus, non quod putem id alicui dubium esse, sed quod sciamus, non defuturos, qui hæc in dubiū uertent, quorum ora a pertis huiusmodi locis erunt obstruenda. Porro quemadmodum idem spiritus est patris & Christi, sic idem spiritus patris & noster, qui uita est & nexus patris & Christi, hic quoq; patris & noster, ut uideas, quæ sit filiatio nostra, & quomodo fiat, nempe, quod per eundem spiritū, iungamur patri, quo Christus ipse si patri: & sicut ipse est filius natura per hunc spiritū, sic nos sumus filij adoptione, per eundem spiritum, quo cum patre & Christo sumus unum, iohan. 17. Utinam illa maiori luce cerneremus, non prolaberemur in stultas disputationes.

### Proinde fratres.

Hic Epilogus est omnium, quæ à Capit. 6. dixit, hortaturq; nos, ne porro peccemus, contra carnis argumenta, cum simus mortui cum Christo, ut post hac uiuamus iustitiæ. Præterea, quod non quiduis faciendum, quando totus Adam nondum sit mortuus. Suis tamen argumentis, caro semetipsam decipit, ostenditq; se non solum impiam esse, sed etiam stultā: nam ubi audit prædicare libertatem conscientie, statim cogitat se fore, non solum liberam à Satana & impietate, sed etiam à Deo & iusticia. Atq; ita decepta, quiduis putat sibi licere, etiam se à pietate absolutam, cum Euangelium, quod ubi creditur, est libertas conscientie, tantum ab

Libertas Euā  
gelica.

impietate absoluat, in qua non uult, ut permaneat. Per simile quiddam est hoc, si diceret: Iste tyrannus non habet in me ius, ut uinctum in carcere detineat, ergo me apte uoluntate in carcerem me conijciam. Sumus sanè ideo liberati à uitæ iniquitate, ut posthac liberi uiuamus in iusticia coram Deo, quemadmodum Zacharias cecinit. Diligenter ergo colligit Paulus ex præcedentibus, ne sequamur carnis stulticiam, quæ seipsam confundit, ac dum putat se dominam fore, abiectissime seruituti sit obnoxia. Vbi igitur est libertas nostra? carnis nulla est: Cur itaq; libertatem prædicat? scias à peccato nos liberos factos per gratiam, ut iam nō peccato, sed Deo seruiamus. At scelicissima hæc seruitus est, in qua regni dignitas maior eluceat, quàm seruitutis uilitas & abiectio, nam Deo seruire, regnare est. Sed quis hæc intelliget? nemo seruitutem regnum credet aut libertatem. Ita agit Deus cum sanctis suis, ut sub uilitate & contemptu seruitutis & crucis, eos reges, cœli & terræ faciat. Beatus qui uidet ista & intelligit. Recte igitur in Corinth. ait illa, non uisa carnali oculo, aut audita aure humana. Sublimia sunt, & soli spiritui cognita: quæ propter textum uideamus.

Debitorum sumus, non carni.

Id est, non carnem iam sequamur, aut eius prudentiam, quæ mors est, sed spiritum, quo agatur, huic omnia debemus



nia debemus, carni nihil: noli interim negligere Pauli  
nam Phrasin, qua hic utitur.

### Moriemini.

Id est, si secuti fueritis carnis sapientiam, obnoxij  
eritis damnationi. Alludit uero ad legem Adæ datam,  
ubi dicebatur: In quacunq; die comederitis, moriemini.  
Hic interim obserua, quid Paulus (nā propter crassos  
hæc moneo) secundum carnem uiuere dicat, ne uel qui  
de Ciuilibus moribus præcepta scripserunt, tibi impo-  
nant. illi enim putabant, eos non carnaliter uiuere, qui  
non scortarentur, helluarētur, & decoquerent omnia.

Carnaliter  
uiuere quid.

Est hoc sapientiæ humanæ, non Verbi, quod ad-  
fectus & carnis prudentiam, carnalem uitam uocat, nō  
tantum scortationem, & ebrietatem, id quod uides in  
Eua, quæ non factō, sed ipsa carnis prudentia decepta  
est. Nam sic cogitabat, audito diuino mandato: Hæc  
arbor cum sit tam pulchra & grata, qui fieri potest, ut  
mali & noxij eius sint fructus, nequaquam uenenum  
habent, ut maxime Deus edi uetuerit, creatura est Dei,  
ut ego, quomodo non potest esse bona? profecto gusta-  
bo, nihil oberit gustus. In his peccauit Eua, ut maxime  
nondū pomū attigerat. Siquidē Deū & spiritū eius, mē-  
daciij accusarat. Vbi hic opus, cui adscribimus peccatū?  
ergo peccatū carnis, est uiuere, cogitare, agereq; secun-  
dū prudētā carnis, ne qua elabātur Monachi & San-  
ctuli q; causantur se nihil unquā peccatorū ope fecisse.

C O M M E N T . P O M E R .

ergo esse inculpatoſ, & dignoſ qui ſedem ſuã ad thronum altiſſimi collocent.

Quod ſi ſpiritu.

Concupiſcencia.  
Scilicet, Dei uel Chriſti. FACTA CORPORIS. Id eſt, carniſ. Semp̄ autem id ob oculos habeto, Paulum non externa, ſed interiore concupiſcentiam intelligere. Ea enim eſt ſummum & primum opus corporiſ uel carniſ, per eam quidiſ agit. Piſ, ubi hoc opere ſolicitantur, concupiſcentiã reſiſtunt, nomẽ Dei inuocant, precantur, ut ab ea liberentur.

Viuetiſ.

Scilicet æterna uita, quemadmodum in, mortemini, æternam mortem intellexit.

Etenim quicunq; ſpiritu Dei ducuntur.

Id eſt, aguntur (quem ſupra legem ſpirituſ dixit) quo trahimur deſyderio, quemadmodum ſpiritu carniſ trahimur & ferimur in carnalia, ut ille dixit: Trahit ſua quẽque uoluptaſ. Verũ ne quiſ dicat: Si trahimur, ergo non eſt libertaſ? Recte. Hęc tractio miro quodam fit gaudio, & cordiſ dilatatione in Deo: tamenſi int̄rim quoq; nõ per omnia Adæ ueteri placeat, ideoq; magiſ ad hunc quod trahatur referreſ, quam ad Dei ſpirituẽ aut nouum hominem, nam iſ ſua ſponte in omne bonũ fertur, neq; etiam niſi deſyderantẽ trahit Deus per illũ ſpirituũ

Spiritus, qui dum traheris, tibi desiderium in Deum simul iniecit, sed hoc caret caro, habet autem & suum desiderium, quo fertur, sicut suum spiritum, quod ex dia-  
meo pugnat cum sancto hoc desiderio spiritus.

### Spiritu Dei.

Scilicet, non suo. Hic iterum uides, quid sit carnaliter uiuere, nempe suo spiritu agi, & ambulare secundum affectus qui sunt in carne. Ergo optima quæque opera in speciem, si non è Dei spiritu profluant, impia sunt. Nisi ille te doceat, & moneat quid facias, nihil tua ratione efficies.

### Hi sunt filij Dei.

Propter spiritum inhabitantem, quem eundem habent cum Deo. Quemadmodum filius carnalis unam habet carnem cum patre, & uxor & maritus sunt una caro: Sic, Cuius spiritus nos & Deum unum facit, id est, ut nos simus filij eius, ipse uero pater noster.

### Non enim accepistis spiritum seruitutis.

Vide, alius spiritus est in seruis, alius in filiis, Byn-  
ander mut und synn: filij sciunt se liberos, non timent  
electionem sui è domo patris, sunt securi de hereditate  
certo sciunt se habere patrem, & omnia quæ patris sunt,  
ad se quoque pertinere: Sciunt præterea se non meruisse  
ullo in patrem officio, quod hæc simul cum eo possideant

Filij sumus  
non serui.

uerum, ex hoc tantum quod filij sint. Sed huius hereditatis & libertatis ius, nemo carnalis exprimet, nisi qui ipse se filium Dei esse norit. Contra, serui nihil habent libertatis, nesciunt qua hora è domo eijciantur. Nō sunt enim filij, nihilq; quod in domo est, ad eos pertinet, faciunt omnia coacti & territi, premunturq; tyrannide molestissima legis, quæ semper dicit, fac fac, dilige dilige, ac nequeunt, cum hoc ipsum filij non audiant, nam per se faciunt omnia & diligūt Deum: quomodo enim non diligerent patrem? Proinde, hic aduerte quàm rotundus sit Paulus in argumētis breuissimis, seq; mutuo complectentibus. Primum: Non est peccandum, quia non estis debitores carnis. Secundo, Si secuti carnem fueritis, mortemini. Tertio, si spiritu ambulaueritis, uiuetis. Quarto, Hoc spiritu estis filij Dei, non serui. At hæc in textu clarius uideamus, olim, inquit, dum serui eratis, & sub lege, impossibile erat uos non timere Deum, quem sciebatis, non patrem, sed iudicem esse, ita enim docebat uos mala conscientia, quæ rea erat: nolēbatis illum accedere cum fiducia, sed fugiebatis magno horrore et trepidatiōe, sentiebatis onus peccati & iræ legis, & dum ab ea nos absolutum iri, per externa opera & hypocrisin putabatis, maiorem timorem, imò desperationem incidistis, id experti & nos sumus. Nonne & nos ad bona opera agebamur propter peccata, statuti Pontificum, & carnificum Romanensium: multa fecimus, ieiunando, orando, canendo, templorum

Conscientiæ  
carnificinale  
gis opera.

Diuorum



Diuorum ædificando, nunc Diuum Iacobum, nunc Ve-  
 ronicam, aut aliud portentum inuisendo, sed quid pro-  
 mouimus, non potuimus à peccatis absolui. Erat enim  
 tantum spiritus seruitutis, nunquam pacificatam sen-  
 sinus conscientiam, quæ tamen, ubi spiritus est Dei,  
 & filiorum, tranquillissima redditur. An non uerū est,  
 quod de Iudæis in Nono dicit Apostolus: Sectando le-  
 gem iustitiæ, ad legem iustitiæ non peruenimus. Eun-  
 dem timorem, & in Adam uidemus fuisse, qui post  
 peccatum latuit, fugiens Dei conspectum, nam ante nō  
 erat filius, siquidem nunc habebat spiritum seruitutis.  
 De hoc timore loquitur Iohannes in Epistola: Perfecta  
 Charitas foris eijcit timorem. Non fert charitas, ut De-  
 um timeas, quandoquidem scis te filium esse, accedis hi-  
 lari animo, agnoscendo patrem. Non loquitur autem  
 hic de timore eo, quem tantopere commendat Scriptu-  
 ra, qui nihil aliud est, quàm cultus & Dei reuerentia,  
 de quo scribitur: Timor Domini expellit peccatum. Itē  
 Initium sapientiæ, timor Domini. Hic timor accedit De-  
 um, alius ille seruilis fugit conspectum Dei, quod in no-  
 bis fiebat, ante prædicatum Christi Euangeliū. Nunc  
 uero quia filiorum timorem habemus, accedimus mag-  
 na cum conscientiarum lætitia. Opponit itaq; hoc loco  
 filijs seruos.

Sed accepistis spiritū adoptionis.

Id est filiationis, si dicere liceret, per quem sumus

COMMENT. POMER.

adoptati in filios, & quemadmodū Christus natura est  
 filius, ita nos adoptione: neq; minus tamen habemus  
 iuris aut hereditatis, quā ipse, omnes ex æquo cōple-  
 ctur nos unā cum ipso pater, nihil ille habet quod nos  
 non habeamus, nihil ille uult, quod nos detrectemus.  
 PER QVEM. Scilicet, spiritum nobis datum.

Clamamus.

Scilicet, ad Deum patrem, fideli corde, qui clamor  
 fit etiam clauso ore: nam & Moses legitur clauso ore  
 ad Deum clamasse.

Abba pater.

Syrum est Abba, quo & Hebræi utuntur, πατὴρ  
 Græcum. Puto uero Paulum ipsi usum nominibus, quæ  
 idem significant propter Iudæos & Gentes, quorū ap-  
 pellatione omnes homines in scripturis intelliguntur.  
 Hæc est uox filiorum Dei, non hypocritarum, sentiunt  
 enim per spiritum, ita uere in corde rem habere, nō in  
 uerbis tantum esse, quando enim dicunt: Pater, patrē  
 ipsum habent, non uoce tantum, aut corde fingunt. Hæc  
 sunt ipsæ diuitiæ, thesauriq; diuinitatis & maiestatis  
 Dei, hic filij & heredes sumus, neq; alicunde nobilius  
 quiddam est expectandū, ideoq; iubet orare: Pater nō-  
 ster &c. q. d. Si in corde uere dixeritis me patrē uestrū,  
 ero pater, non absens, sed præsentissimus. Possidebo  
 uos, & uos me: habebitis & in me omnia, nempe san-  
 ctificationē nominis mei, regni mei potentia, uolūtatis  
 mei

Hereditas fi-  
 liorum Dei.

mei agnitionem omnium necessariorum copiam, peccatorum remissionem, uictoriam Sathanae, & omnium tentationum. In summa, libertatem qua sentietis, uos nequam posse fieri obnoxios ulli malo. O immensam Dei bonitatem, quae usque adeo, suis diuitijs nos obruit, quas utinam agnosceremus. Vult esse pater, modo uelimus esse filij: trahit, sollicitat nos in sui amorem, suo spiritu: inuitat & externis beneficijs, sed quia corda nostra indurata sunt, neq; audimus tam dulcem uocem, neq; uideamus ulla eius beneficia.

### Idem spiritus testatur.

Id est, ipse spiritus sanctus, certum reddit spiritum nostram. Duplicem hic audis spiritum, nostrum & Dei, cum tamen idem sit spiritus, ubi illuminati sumus, nam ante sumus uere absq; spiritu, & carnales dicimur, inde noster dicitur, quia nobis datus: antea mens nostra & intellectus non capiebat Deum, iam uero per spiritum sanctum, transijt in spiritum à sua carnalitate, & factus est cum Deo unus spiritus, trahens paulatim post se totum hominem, de quo dicit: Qui spiritu Dei aguntur &c. Quid agit ille? nihil aliud, quam quod firmissime nobis persuadeat & inculcet Deum esse patrem nostrum, nosq; illius filios, afficit nos dulcibus erga illum adfectibus, ne quid aut dubitemus, aut desideremus, non sunt ergo ignari Christiani de uoluntate Dei patris erga se, scunt uere se esse filios. Sunt obsignati hoc caractere

Duplex spiritus.

eterno & inuolabili, quem intuentes, securi sunt de  
 illius dilectione, id quod dicunt in Psalm. Signatū est lu  
 men uultus tui Domine &c. Tameſi Papiſtæ alium  
 quendam characterem beſtiæ, de qua in Apoc. inuene  
 runt. Non ſunt itaq; hæc ſimplicia uerba, cum dicit: Spi  
 ritus certus nos facit, nos eſſe Dei filios, è cælo datus  
 eſt ille in corda noſtra, quæ obſignauit: ſumus confor  
 tes Chriſti: ergo inuncti hoc ſpiritu quo ille, quamuis  
 ille plus inunctus fuerit, cum eſſet caput noſtrum. Ne  
 mo eſt ergo Chriſtianus, niſi credat in Deum per Chri  
 ſtum, ſi credit, iam ſpiritum habet per quem credit, qui  
 regnans in corde, dat illud teſtimonium, nã corde cre  
 ditur ad iuſticiam: Solius eſt igitur Spiritus ſancti cre  
 dere, quo non regnante in cordibus noſtris, non credi  
 mus. Hic ridendi ſunt, quicunq; fidem ſibi, neſcio quam  
 fingunt, cum tamen certi, de Dei erga ſe uoluntate bo  
 na, eſſe nequeant, quales ſunt omnes, qui bonas ſibi fini  
 gunt intentiones, & neſcio quam pietatem ſterentiã.  
 Tales ignorant, in dõ ſemper dubij ſunt de peccato re  
 miſſo, neq; remiſſum ſibi unquam ſentire poſſunt. Sunt  
 & nonnulli, qui hoc ſpiritu contempto, expectant, ne  
 ſcio quas è celo reuelationes & motiones Spiritus ſana  
 cti, uerum decipiuntur. Sathanas eius faſcini auctor eſt  
 quo ſic diuexantur, & illi, ut caro in huiusmodi eſt pro  
 na, aiunt à Deo factū. Præterea hic propter quosdã de  
 ſpiritu, anima, & corpore, quædam indicanda ſunt, nã  
 ſæpe illis uiuunt. Spiritus, eſt excellentior hominis pars.  
id eſt,

Spiritus quid?



id est, intellectus, illuminatus Spiritu sancto, & cum eo  
 unum factus, de quo animales homines nesciunt, neq;  
 intelligunt quid sit, ut dictū. Hic incomprehensibiles,  
 inuisibiles, æternasq; res complectitur, estq; planè do-  
 mus fidei & Dei, quia Verbo Dei, & spiritu sancto il-  
 lustratur, alioqui obscura domus impietatis est, si care-  
 at Verbo. Anima uero est, ea uis omnis, qua uiuificatur *Anima quid est*  
 totū corpus, fiuntq; per eā omnes operationes in cor-  
 pore, etiā dū dormis, hæc opatur, & nunquā quiescit.  
 Comprehendit autem illa non res incomprehensibiles  
 aut æternas, sed eas tantū, quas ratio cognoscere potest  
 & intueri: Idcirco & huius domus, ratio, lux esse dici-  
 tur, qua amota, nihil anima ipsa intelligit, aut cōcupit.  
 Corpus autem, totū illud externū est, constans pluribus *Corpus quid est*  
 membris, habetq; suos motus & operatiōes, ex primis  
 duabus partibus, anima & spiritu, nam omnia, ut per  
 animā cognoscuntur, & spiritu creduntur, in illo fiūt.  
 Et ut id clarius fiat, simili quodā ex scripturis, taberna-  
 culū Moisi proponemus. Atrij nomine, corpus significa-  
 ri potest: nā ut atrium illud, sub Diuo erat omnium oculis  
 patens: sic corpus externum est & cernitur, tangitur:  
 hic nihil est secretum, aut arcanū, neq; tale quiddā hic  
 geritur, sed omnia in propatulo erant. Verū omnia in-  
 tus geruntur, aut in sancto & ante fores eius, aut san-  
 cto sanctorum: itaq; Sanctū, animā significabit, in eo,  
 & ante fores eius, omnia uiribus humanis fiebāt, cæde-  
 bantur uictimæ, expiationesq; celebrabantur. Non se-

COMMENT. POMER.

eius in anima res habet, quæcunque per eam fiunt, sunt humanæ vires, ex ratione et sapientia carnis profiunt, hic nihil adhuc est vere sanctum, & vere diuinum, tamen si quædam multam speciem habeant sanctitatis. Quare, in Sanctum sanctorum est progrediendum, ubi nihil humanarum est uirium, nihil naturalis lucis, uerum tenebræ & caligo, quo significabatur hanc esse domum dei, qui habitat in abscondito, quicquid non cernitur præsidio humanæ ullius lucis, aut sapientiæ. Huius ratio quodammodo, & in spiritu nostro deprehenditur, qui nihil externum admittit, uerum quicquid continet per Verbum, hoc est solius Dei: estque in ea lux illa inaccesibilis, quam neque oculus, neque auris, aut cor humanum capiat. Sed diligenter est uidendum, ne hunc spiritum, aut Sanctum sanctorum nostrum occupent Astrij, id est, humanæ traditiones, quibus obnoxius iam non est spiritus Dei, sed Sathanæ. Ergo orandum est, ut hic non ratio, aut quiddam carnale dominetur, sed solus Deus, cuius spiritus certum reddit nostrum spiritum, quod sumus filij Dei: Si filij, ergo & heredes, id est, possessores omnium quæ sunt patris, nempe cæli, terræ, omniumque creaturarum. Præterea non tantum heredes Dei sed & Christi coheredes, id est, quo iure & potestate ille omnia possidet, ita & nos. Quæ igitur creatura plus honoratur, quam Christianus, an maior possit alteri contingere gloria à Deo? Tamen sit persepe, ut tentatio & crux eam obscuret. Beatus ergo ille, qui in si-

nem perseveraturus est. Sed hæc hæctenus.

### Siquidem simul.

Suavissimæ hæc sunt consolationes, ne aut in cruce *Cruce salutari-*  
succumbamus, aut peccato obsequamur, nos, inquit, *ris.*  
certi sumus, & in hoc, quod simus coheredes & fra-  
tres Christi, quia affligimur tota die, quemadmodū ipse  
adfectus est, sollicitamur per carnem ad peccandū, deij-  
cimur ad inferos, omnes iniurias mundi perferimus, nō  
tamen aliam ob causam, nisi ut per omnia, illius imagi-  
ni crucis, adsimilati, in eandem quoq; gloriam cum illo  
constituamur. Est itaq; optimum hoc ab exemplo argu-  
mentū, & utile: Si enim naturalis filius passus est, cur  
nos non pateremur, qui sumus adoptivi? is suo spiritu  
filius est Dei, tamen cruci suffixus est, pudeat nos teme-  
ritatis & insipientiæ nostræ, qui crucem detrectamus,  
quos ille facere vult dei filios, nō nostro, sed suo spiritu.

### Nam reputo.

Argumentum est à premio: tanta, inquit, gloria nos  
expectat, ut nulla cum ea res conferri queat, imò &  
cruce quantumvis sit intolerabilis, & calamitosa, ut *Merita non*  
umbra quædam est in collatione huius gloriæ, quæ re- *stra nulla*  
uelabitur in nobis in resurrectione. Si igitur pares non *sunt.*  
sunt afflictiones, taceamus merita operum, nihil me-  
remur, aut operibus nostris, aut cruce, omnia per gra-  
tiam nobis exhibentur. Nā si afflictiones propter Chri-  
stum susceptæ, non sunt condignæ, quando condigna  
forent nostra opera?

## Etenim sollicita.

Cōsolatio ne  
succūbamur  
in malis.

Multis argumentis haecenus Paulus eam sententiā  
rōprobat, qua dixit, nihil esse in nobis damnationis,  
ut maxime in nobis sit reliquum peccatum, & peccati  
sensus, carnisq; affectus, qui primum in resurrectione  
abolebuntur; nunc tandem confirmat animos nostros  
aduersus crucem & insultus Sathanæ. q. d. non poteritis  
consistere in ista tribulatione & afflictione sine pa-  
tientia. Ideoq; exemplum patientiæ sumite uobis à to-  
tius uniuersi (quod ipse creaturam uocat) anxia expe-  
ctatione, in qua, multa cum patientia sustinet, quòd im-  
pij eo abutantur, & Sathanas pro sua libidine, ipsum  
cum membris suis, id est, creaturis impijs in os & rictū  
protrudat. Nolite quæso, desperare, non enim uos soli  
patimini externa, habetis consortes omnes creaturas  
in cruce. Prætereo, quod hic Paulus creaturam uocat,  
Philosophi, uniuersum, & Moses cælum & terram di-  
xere, illa, cum iam omnia sint corruptioni obnoxia,  
spem habent gloriæ futuræ, nō propter se, sed propter  
nos: erit enim aliquando cælum nouum & terra noua,  
ut Esaias dixit. Item, Petrus in epistola indicauit, iam  
sunt in labore perpetuo, nunquam quiescunt, seruiunt  
nobis, ferunt etiam maledictionem propter nos, sed cū  
expectatione: sciunt enim fore, ut aliquādo liberemur,  
quod tunc fiet, quando nos liberabimur perfecte in re-  
surrectione ultima à nostro peccato. Magnum hoc est  
Pauli



Pauli mysterium, quod tamen nondum comprehendimus: uerum sicuti resurrectio & gloria nostra, fide tantum comprehenditur, ita & illud. Docemur præterea hoc arcano, nos uere dominos esse & tanquam patris familiæ in hoc mundo, reliquasq; oēs creaturas, quasi familiam nostram, dolere nostrā infelicitatē: interim tamen cum respiciant in solam Dei uoluntatem, perferunt omnia, & uanitatē & corruptionē. Ideo addidit

### Non uolens.

Quod ad creaturas attinebat, non uellent subijci ijs malis, sed cum Dei sit uoluntas, illi se permittunt. Similitudine & sancti, uelint abesse peccatum omnem. At cum intelligant & sentiant hanc esse Dei uoluntatem, ut in carne sint hoc tempore, perferunt, tamen si inuiti, peccatum, clamant, Ne inducas nos in tentationem, sed libera nos à malo.

### Propter eum.

Scilicet, Deum.

### Qui subiecit illam sub spe.

Scilicet liberationis, habet certissimam spem, quod spe seruamur olim debeat liberari: nihil enim est sub sole quod nō ma in tentatione. uelut esse liberū beatumq; sua conditione, q̄ rari, discripiq;: et in seruitutem redigi, uel in totum aboleri: nōne quælibet arbor bona pro natura sua bonitate libenter fructum ferret: sū autē ut nonnunq̄ aduersa tempestate,

ista aut uermibus arrosa, nihil fructuum adferat. Cupit Sol & Luna, ut tempus uernum redeat, quo omnia reflorescant, secundum hoc Prophetæ: præceptum posuit, & non præteribit, accidit tamen, ut sepe quid aduersi uideamus in eo tempore. Et mulier uehementer cupit se liberam à partu, atqui fieri nequit, hæc enim est Dei uoluntas, ut isto periculo laboret: in omnibus ergo creaturis quiddam crucis cernis & amaritudinis, qua premuntur & affliguntur, omnia sunt uicissitudinibus, & defectibus obnoxia, ad seruiendum interim homini: sed quemadmodum illæ creaturæ spem habent liberationis suæ, ita & nos non succumbamus in cruce & aduersitatibus, nam adiecit Paulus.

Quoniam & ipsa creatura liberabitur à seruitute corruptionis, in libertatem gloriæ filiorum Dei.

Glorificatio  
iustorum.

Id est, quando filij Dei glorificabuntur, liberabuntur & creaturæ à seruitute, neque enim tum earum ministerio indigebimus, uidebimus omnia noua facta: tunc fiet sermo qui scriptus est: Vbi est mors uictoria tua? Item illud Solomonis: Impij de terra perdentur, iusti autem habitabunt in ea, in seculum seculi, quia cælum & terra iustorum tantum sunt, cum quibus & glorificabuntur. Psalm. 8. 1. Timoth. 4. non impiorum. Possumus huius mysterij exemplum quoddam, utcumque iam in nobis præsentisere. In tentatione, in qua omnes creaturæ nobis

nobis cōtrariæ uidentur, etiam sol ipse qui clarissimus est, nobis tenebrascit, secundum ea, quæ in Prophetis legimus: Omnia quæ iucunda fuerunt & dulcia, in amarorem nobis uersa sentimus, imò & ad strepitum decidens folij ex arbore trepidamus. At ubi spem aliquã in Deum in ea tentatione rursus conceperimus, nihil est quod non stet à nobis, nihil terret nos, arident omnes creaturæ, & nobiscum gaudere uidentur, siquidē Deus pater aridet. Ecce hic gustus est, primitiarum gloriæ huius, hic experimur illud quod dicit Paulus: Diligentibus Deum, omnia cōoperantur in bonum, id est, omnes creaturæ & quicquid est rerum, etiam aduersarum, salutem nostrã promouent, id quod in resurrectione uidebimus, cum omnis impietas extirpata fuerit.

Scimus enī, quod omnis creatura.

Nemo hæc uerba, nisi spiritalis sit, dicere potest, caro enim ignorat, quod creaturæ etiam pessimæ, itē peccatum & mors, pijs cooperentur in bonum.

Congemiscit.

Gemit nobiscum, & cupit liberari à seruitute.

Simulq; nobiscum parturit.

Id est, in angustia est ut mulier parturiens, quæ nihil aliud ob oculos habet, quàm mortem, ut interiam dolorem taceam. Iohan. 16.

Vsq; ad hoc tempus.

C O M M E N T . P O M E R .

Scilicet, nostrum: nunquam cessat gemere creatura, donec liberetur à seruitute, quemadmodum mulier à partu: debebant profecto conscientie nostrae meditatio ne huius mysterij exerceri, nam quaedam uiuq; comprehenderent, & uel ipsa experientia condiscerent.

Non solum autem illa.

Creaturae gemunt, & expectant liberationem.

Argumentum est aliud, quo nos consolatur, superiori tamen coherens, Creatura, inquit, ingemiscit, & expectat liberationem, sed non sola: est Spiritus sanctus in cordibus nostris, qui idem facit, hic ingemiscit, uel it quoque nos liberos à peccato & carnis uersutia, sed fieri nequit: Sustinet, quemadmodum creaturae dicens. Fiat uoluntas tua. Sunt uere gemitus parturiētis, quando dicit Paulus, Quis me liberabit à corpore mortis huius? ah infelix ego. Christus in horto dixit, Transfer à me calicem, quae omnia ex infirmitate carnis dicta uides. At Spiritus, constanter hoc unum dixit, Fiat uoluntas tua: sed hoc nemo, nisi tentatione & spiritu edoctus, satis intelligit.

Qui primitias Spiritus habemus.

His seipsum exponit, ne quis id de carnalibus spiritibus nostris dictum putet, qui non ingemiscunt, sed toti insaniunt in carne & spumant. Non sunt infirmi, sed robusti & audientes omnia. Item, aduentum Domini non expectant, sed deprecantur: in omnibus enim tantum suam gloriam & utilitatē querunt, non Dei. Allu



ait autē hic Apostolus ad legis oblationes, ubi nō totus fructus offerebatur, sed primitiæ fructuū. Christus totum habet spiritū, non ad mensuram, nos autē primitias tantū & gustū quendā spiritus, ad mensuram, quibus contra peccatū pugnamus, donec totū aboleatur: baptisimus durat interim per omnem uitam, hinc addit

**Et nos ipsi in nobis ipsis gemimus.**

Id est, intus in corde nostro, suniq; hi gemitus Spiritus sancti, nam aliās nequaquam, cum habeamus ferreum cor, ullus gemitus propter peccatum edi posset. Sed quare gemimus?

**Adoptionem filiorū expectantes.**

Non intellige quōd dicat, nos nondum esse adoptatos, uerum quōd adoptio nostra nondum sit reuelata: sumus uere iam filij Dei per fidem, sed non palām factum, primum autem illud in resurrectione manifestum fiet. Quid autem speramus futurum in illa reuelatione adoptionis? nihil aliud, quā

In resurrectione palām fiet nos filios esse

**Redemptionem corporis nostri.**

Id est, tum redimetur hoc nostrū corpus à seruitute & corruptione & peccato, quod impossibile est fieri in hac uita. Quare, ut maxime doleamus & ingemiscamus ob hæc omnia, malimusq; esse liberi, audienda est uox benigni & pij patris, qua quēuis in cruce et persecutione stantē, solatur dicēs, Sufficit tibi gratia mea, ut maxime sis peccator, sustine, sufficit, hæc est mea uox

COMMENT. POMER.

luntas, q. d. quod in te non habes, in me habes, perfer saltē ad tempus hanc crucem: sed hæc ipse exponit.

Siquidem spe seruati sumus.

*Gloria nostra nondum reuelata est.* Saluati sumus, sed sub spe: sumus uere filij à Deo suscepti, at illud non uidetur, omnia sunt abscondita sub formis crucis, nihil aliud uidetur, quàm ignominia & opprobrium, spectaculum sumus mundo, & ipsius *Et. I. x. a.* Ideoq; ut maxime iam omnia possideamus ut hæredes Dei, & domini creaturarum, tamen reuelationem huius domini & hereditatis nostræ expectamus: Ipse promisit, non fallit nos, prius cœlum & terra transitura scimus, quàm Verbum eius: quod dum credimus, habemus omnia quæ nobis in illo promittuntur: ergo expectandum est cum patientia. Non in crucem & eius amaritudinem dirigamus oculos, sed in solum uerbum, in quo omnes diuitias & plenitudinem inuenimus, id quod sola fide fit, quæ in ijs, quæ non palam uidentur, uersatur. Hæc his quoq; uerbis Iohannes expressit: Scimus quod simus filij Dei, sed nondum apparuit, id est, nisi ex fide essemus certi, nos esse filios, dominosq; omniū creaturarum, non possemus expectare reuelationem eius gloriæ, quæ futura est.

Porro spes.

Id est, res quæ speratur. SI VIDEATUR. Scilicet, coram. NON EST SPES. Id est, spes tantum est de futuro bono, non presenti, q. d. sumus adhuc

adhuc in regno fidei, id quod sumus, nempe, filij Dei, nondum est reuelatum. QVOD ENIM QVIS CERNIT. Scilicet, ob oculos positum. SIVERO QVOD NON VIDEMVS. Scilicet, adesse.

Speramus, id per patientiam expectamus.

Scilicet, crucis: interim opus est patientia. Similia aduertis in carnalibus exemplis, cum speras te pulchram & bonam uxorem ducturam, sustines omnia, curris sursum ac deorsum, imò & in seruitutem te conijcis propter eam, ut Iacob fecit: Spes est quæ te conseruat & patienter omnia ferre iubet. Præterea si quid magni tibi promissum fuerit, id expectas summo desiderio, sed priusquam id ueniat, multa interim sunt sustinenda, quæ intercidunt. Quemadmodum pater puerum Pædagogo tradit imbuendum, is cogitur aliquandiu ferre tyrannidem & plagas, donec intelligat se & honore & doctrina auctum, quæ res tum est admodum iucunda, licet priora peracerba uidebantur, quæ & patientia uicit: ita Christiano nõ nisi per patientiam in cruce est permanendum, donec ueniat, qui uenturus est, quemadmodum uides in Abacuc Propheta.

Consimiliter autem & spiritus auxiliatur infirmitatibus nostris.

Consolatio hæc est in primis memoranda, siquidem

Spiritus san-  
cti auxilium.

ducit argumentum Paulus à facili. q. d. Quamuis patiamur & Sathane & mundi iniurias, idq; omnium creaturarum consortio, tamen ne ulla desperationis cogitatio nos uincat, qua ob oculos nobis ponitur, Deum non esse nostrum Deum, non esse patrem nostrum: Item oblitum nostri, scitote, & ipsum Dei spiritum uobis auxiliari, non putate uos derelictos, etiam in perturbatissima cruce, siquidem non potest non esse uobiscum, etiam in morte, Dei spiritus: hic uos conseruat, hic aduersus peccatum uos confirmat, nam cum sitis filij Dei, qui fieri potest, ut non omnia agat in uobis & sustineat? Est hic arrabo uobis, uos pertinere ad regnum Christi, hic solus certas reddit conscientias uestras, uos esse in Dei manu, omniaq; fieri Dei uoluntate. Multi uero, qui hoc carent spiritu, in tentatione deficiunt: Iudas & Cayn absorpti sunt ab inferno, nam hoc auxiliatore carebant. Vides hoc horrendum Dei iudicium, in Parabola, de semine expositum, nam quantula pars est eorum, qui per terram bonam significantur? Tres sunt partes eorum, in quibus uirtus Dei non operatur, quantumuis etiam splendescant & uideant, mundi quadam potentia & sapientia. Primi conculcantur pedibus eorum, qui per uiam transeunt, deuorantur item à uolucris coeli, quae aliud nihil sunt, quam impij doctores, siue Dæmones, qui trãseunt & uolant per mundum, omnia inquinantes, quae sancta sunt, etiam si quid reliquum est deuorantes, non enim permittunt, ut fructum in ijs faciat hoc semine benedictum.

Parabola se-  
minantis.

Alteri



Alteri, typo saxorum notantur, in quibus Verbum nō  
 potest alius radices agere, nam ubi crux imminet, rece-  
 dunt, negatq; sanctū Dei Euangeliū. Postremi spinarū  
 nomine indicantur, qui itē mundi huius sollicitudine ad-  
 flucti, nequeunt Deū inuocare, & illius bonitate fidere.  
 Soli ergo pij fructum adferunt, sed in patientia, quam  
 nemo habet, nisi spiritus Dei adsit, quandoquidem na-  
 tura, ubi se flagellari uidet iusto Dei iudicio, statim og-  
 gannit, Deum sibi aduersari, irasci, ac tyrannum esse,  
 ideoq; Spiritus sanctus in nobis, intelligens paternam  
 Dei uoluntatem, reprimat naturam dicens: Necessē est  
 ut patiaris, nam hæc est bona Dei uoluntas. Videtur au-  
 tem in cruce sepe numero, hic spiritus se abscondere,  
 & non adesse, uerum prodit tamen suo tempore, uult  
 enim Deum, ut ores, & inuoces illius auxiliū de sancto.  
 Occulte hic spiritus dicit: Fiat uoluntas tua, ut maxime  
 non sentias. Sit nobis exemplo, Christus in horto, qui  
 dixit: Aufer à me calicem: Spiritus autem, Fiat uolun-  
 tas tua. Idem Susannæ docet historia, cui cum mors in-  
 tentaretur, nisi consentiret senibus: caro in summa fuit Carnis & sp̄s  
 angustia, at spiritus dixit: Melius est, ut incidam & c. ritus pugna  
 Et nemo est hodie, qui non timeat mortem, quoties in aduersis.  
 audit tumultuari Principes & Episcopos aduersus  
 Euangelium, hic cogitat caro, actum est de nobis,  
 iam iam occidemur, uē nobis, quid futuram est nobis  
 scum? Sed contra spiritus occulte dicit: Ah iniquum  
 & impium facinus, negabis Dei Euangelium?

Timebis bullas carnis & Sathanae? quid facient nolente Deo? etiamsi omnes creaturae insultent, tamen nihil possunt efficere, consiste, consiste, sustine, haec Dei est uoluntas, satius est mori pro illius uerbo, quam uiuere, & eius misericordiam negare. Hanc spiritus uocem, audit Deus, non eam, quae carnis est, quae semper detrectat crucem. Tolerat autem Deus in nobis has infirmitates, qui non uersamur secundum carnem, sed qui primitias has spiritus habemus, uidet quod non sit nostrarum uirium perdurare in cruce, non tamen abiicit, propter eum spiritum clamantem in nobis, & agnoscentem bonam eius uoluntatem. Quem, quae so, haec non consolarentur, etiam in profundissima inferni uoragine? sed exponit clarius quae dixit.

Siquidem hoc ipsum, quod &c.

Oratio uera.

Dignissimus hic locus est de uera oratione, quam & Deus exaudit, haec spiritus est, non carnis nostrae, siquidem sit carne ipsam ignorante, tantum coram Deo. Quid igitur trepidabimus in periculis, aut morte? cum spiritus uere inuocet nomen Dei, nunquam est audienda caro, quae omnia crucis declinat, siquidem non intelligit, quid sub ea lateat, nempe optima in nos Dei patris uoluntas, qui suos filios ita nult castigatos: cur desperabimus, cum non uideamus id nobiscum geri, quod nos uelit secundum Dei uoluntatem in desperationem conijcere? Alia quidem est facies crucis, alia patris uoluntatis

uoluntatis ratio. Hanc caro ubi cernit & sentit, putat se perituram, illam uero cum fides, spiritus Dei in nobis cognorit, mirum in modum nos confortat, & contemnere facit quicquid est portarū inferi. Exhorruit & Dauid mortem, idq; ex carnis infirmitate, sed quoties uides in Psalmis, in summa tētatione dici: Exaudiuit Dominus deprecationē meam &c. & similia. In ipsa cruce orat spiritus, dum interim caro nil aliud uult, quam desperare, non enim uidet crucem nobis prodesse ad salutem, quod tamen spiritus probe nouit. Hinc uocat eā orationem, uel intercessionem spiritus pro nobis, gemitus inenarrabiles, id est, talem affectum occultissimum in nobis, quo uere dicimus, Abba pater, & qui solus probat Dei uoluntatem, ut maxime in cruce & horrore sit sepultus: quo fit, ut recte gemitus dixerit, nam tā dulcis in Deum adfectus erumpit, & se exerit, ex ipsa amaritudine, ita, ut uideas gaudium, in tristitia sepulcristitiam in gaudio, mortē in uita, uitam in morte, desperationem spei permixtam, spem desperationi. Sed cur pluribus hæc persequor, sciens ea in ipsa experientia, non ex chartis condisci.

### At ille qui scrutatur.

Deus qui nouit profunda cordium, audiens orationem spirituum, se statim illi accommodat, siquidem uidet eum intercedere, non iuxta carnis uoluntatem, uidet suam & illius uoluntatē esse eandem. Ergo neminē

COMMENT. POMER.

Deus exaudit, nisi oret secundum ipsius spiritum, qui  
in oratione errare non potest.

Intercedit pro sanctis.

Non impijs, in quibus spiritus Dei non est, hinc  
etiam non orant.

Scimus autem, quod his.

Gratie com-  
mendatio.

Argumentum aliud ab utili, dicit enim: tantum  
abest, ut propter aduersitates, quas sustinemus, deficiamus à Christo, ut etiam adiuuent nos: nihil excipitur,  
omnia mala sunt nobis cōmodo, nempe, gladius, mors,  
Sathanas, impij qui infestant, adeoq; ipsam peccatum.  
Mira itaq; hæc est commendatio gratiæ, quod ea quæ  
nos uelint damnare, cogantur nobis seruire ad salutem:  
& hoc ideo fieri, quod simus electi, in quo discamus  
salutem nostram in electione consistere, nihil meriti  
in nobis inueniri, ut sola prædicetur gratia & Dei mi-  
sericordia. Si ergo, quæ pessima sunt, cooperantur  
nobis in salutem, quid dubitabimus de reliquis crea-  
turis? Et Paulo datus erat stimulus Sathanæ, qui ni-  
hil aliud erat, quàm gratia, qua custodiretur, ne in-  
cideret in laqueos Sathanæ, nempe, superbiam,  
odia, fraudes &c. Non deberemus indignius ferre,  
si quæ durius in nos agit Deus, nam hæc omnia talia  
sunt, quibus nos seruet, & fidem nostram probet.

Qui diligunt,

Nam



Nam qui odiunt Deum, omnia eis cooperantur in malum & damnationem.

Nimirum his, qui iuxta propositum uocati sunt.

His uerbis excluduntur Iusticiarij, qui se suis operibus iustificant, non Dei electione. Saluamur itaq; ex proposito Dei, non nostro, quicumq; saluamur.

Quoniam quos præsciuerat.

Locus hic de prædestinatione utilissimus est, ijs qui adstinguntur in hac carne sanctis. Contra, impijs & carnali sapientiæ inutilissimus, quemadmodum & hodie uulgo uidemus fieri inter pocula, quoties mentio fit rerum sacrarum, insigniter uideri uolunt quidam disputare tantum de prædestinatione, cum tamen nunquam didicerint, quando cogitanda & meditanda sit prædestinatio, quare prorsus est talibus & tam curiosis hominibus inutilis. Est autem hoc caput prædestinationis ut sciamus nos mortificandos, quemadmodum filius Dei mortificatus est: glorificandos uero, quemadmodum filius glorificatus est, hoc qui non uidet & credit, prædestinationis solerti cogitatu, seipsum seducit & perdit, id quod ex ipso textu hic clarum est, nã dicit: Quos præsciuerat scilicet ab æterno, uel suo cõsilio elegerat (ut in Ephes. est: Dilecti sumus in Christo, ante mundi cõstitutionem) hos & præfinit, id est, ordinauit ad ea oia, quæ erant futura in Christo filio suo, ut & cruce & glorificatione

Prædestinationis utilitas.

COMMENT. POMER.

similes Christo fierent, & filij Dei essent, sed per primogenitum Christum. Hoc qui credunt, gaudent, nec quid sentiunt aduersi in sua conscientia. Nam quid est dulcius & iucundius, quam scire, nos diuina electione saluandos, non nostro merito, siquidem dixit: Vos non me elegistis, sed ego elegeri uos. In hoc ubi respicimus, excedimus ab omni fiducia humana, scimus enim nos esse in manu Dei, ex qua nemo nos potest rapere, ergo perire non possumus. Periissemus uero iam dudum, si in nostra manu salus collocata diceretur. Caueamus igitur nobis, ne in solitudinem predestinationis incidamus cum carnalibus, qui per totam uitam turbantur predestinatione, quæ, quia Dei est & spiritualis, à carne intelligi non potest, uero soli spiritu placet: Tonitruum quoddam est in animo carnalis hominis predestinatio, quo uastantur & prosternuntur omnia, id est, quo tollitur omnis Dei timor & reuerentia, nam dicunt: Si non est in manu mea salus, quid uis faciam: Si Deo est uisum, saluabor, etiã si nihil boni faciam, sin minus peribo, etiã am si sanctissima uita fulgeam. His argumētis caro nixa perit, nam sunt inextricabilia, & solui nequeunt, siquidem ad iudicia Dei pertinet, quæ nobis sunt incognita. Gratias ergo agamus Deo, qui dedit nobis in Euangelio agnitionem sui Christi, quo fidimus, & cui nos totos committimus, certo scientes, peccata nostra esse illius sanguine sublata.

Caro offenditur predestinationis sententia.

Ut ipse

**Vt ipse sit primogenitus.**

Ipse natura est filius Dei, prior & ante secula dilectus patri, nos uero filij adoptione, facti quoq; dilecti per illum patri: est tamen primogenitus, ut maxime sit frater noster, non essemus facti filij Dei, nisi ipse fuisset filius natura, & in quo sibi complacuisse pater. Ergo quocunq; respicias, Christus est primogenitus, siue in diuinitatem, nam natura Deus est, nos electione Dijsimus: siue in resurrectionem mortuorum, ipse quoq; est primogenitus ex mortuis, quando glorificato eo dictum est: Ego hodie genui te: Sede à dextris meis. Si in creationem respicias, est primogenitus ante omnem creaturam, ut est in Collos. Vt sit ipse primatum tenens in omnibus &c. Multi sunt Dijs, sed per ipsum Christum: multi sunt sancti, multi sacerdotes, sed per illum. Ergo si glorificari uolumus, sequamur Christum, in quo ad gloriam electi sumus, ita tamen ut per uiam crucis & patientie ingrediamur.

**Porro, quos prædefinierat.**

Quos statuerat saluandos, ut uideas, non esse uolentis aut currentis, sed miserentis, quæ res tamen uehementer offendit carnem, quare hic finito Deum plura scire, quàm te. Gratiæ est hæc commendatio, non meriti, quod gratissimum est omnibus Christianis. Eramus enim inimici Dei pro tempore, nunc uero facti per gratiam filij Dei, hinc dicit.

**Electio uel  
prædestinatio,  
est ab  
æterno.**

**Vocatio, à tẽ-  
pore.**

**Eosdem & uocauit.**

Scilicet, in tempore, quamuis ab æterno electi simus à Deo ad uitam, tamen permisit nos errare ad tempus in Dei blasphemia: at quando uoluit, uocauit nos. Itaq; hunc locum non de uocatione æterna, sed temporis intelliges.

**Et quos uocauit.**

Scilicet, uocatione temporis, per suum Verbum, & reuelatum Euangelium.

**Eos & iustificauit.**

Quo iterum omne meritum tollit humanum: quot quot igitur uocat Deus, eos omnes inuenit in peccato. Etiam Iohannes Baptista, testatur se esse peccatorem, cum dicit: Ego deberem à te baptizari.

Math. 3.

**Quos iustificauit, hos & glorifi.**

Hanc gloriam per spem iam habemus, accepturi eam olim re ipsa. Quare diligens lector, hæc omnia ex admiratione quadam, per Paulū dicta intelligat, ne putemus nos posse excidere, qui Euangelio Dei non abutimur: quotquot autem abutuntur, nō possunt esse certi de gratia. Dicit ergo Apostolus, quid est, quod crucem egregeratis, cum sitis prædestinati, uocati, iustificati & glorificati? hæc est uia, qua ad Deū conscenditur, nolite timere Sathanam & impios, quantumuis etiam insaniant, nihil enim præualebunt, siquidem certissimi estis,



estis, de bona Dei erga uos uoluntate. Sed quia hic de uocatione fit mentio, obijciunt quidam ex Euangelio: Vocatio duplex. Multi sunt uocati, pauci uero electi. Sciant hos locos non posse intelligi de una uocatione. Christus enim in Euangelio loquitur de uocatione, uel inuitatione. sanctorum, qui nos uocant, ut serui Dei ad Euangelium, id quod uides satis clarum in nuptiarum ratione, nam quidam, tamen si uocati, non ueniunt, quidam ueniunt, sed sine ueste nuptiali, quales sunt omnes, qui abutuntur Euangelio, in libertate carnis. At Paulus de ea uocatione loquitur hic, qua Deus nos trahit ad se per suū Verbum, id quod ministri Verbi non possunt: Traheris haec & raperis, neque alio te conuerti te potes, fit enim Dei spiritu, qui foris est, & cui nemo potest resistere. illa autem uocatio, uirtutis nihil habet, nisi credatur uerbo, per ministros praedicato. Sic ergo conciliabis hos locos, nam ibi serui dicuntur inuitare uel uocare, hic autem Deus: praeterea hic dicitur de ijs uocatis, qui ab aeterno ad hoc praedestinati sunt, hi omnes sunt electi & glorificabuntur.

### Quid igitur dicemus?

Quid est, quod solliciti simus & impatientes? ecce sumus in manu Dei, unde excidere nequimus, non possum ego effari, inquit, haec mira Dei uerba, qui sua benignitate & fauore nos ad se allicit, uti pater filios, tamen tanta est nostra impietas, & fidei imbecillitas,

ut de hac eius in nos uoluntate dubitemus. Confitentur omnes creaturæ, ipsum esse omnipotentem, solus homo semper fluctuat, & timet, ne cœlum ruat, cum tamen quotidie Verbi prædicatione, per ministros certificetur. Hac igitur ratione uides, quod Christianos faciat dominos omnium creaturarum. nam si Deus pro eis est, quis potest esse contra eos?

Qui proprio filio non pepercit.

Contra. Lib.  
Arb.

Similis sententia est in Iohan. 3. Sic Deus dilexit mundum &c. ut omnino certi simus, hanc gratiam ex Deo profectã, ex dilectione, qua ipse prior nos dilexit, non qua nos illum, quia eramus inimici natura. Quid posset fortius contra merita & Liberum Arbitrium dici? Scribant nunc magnos libros Liberti Arbitrij adseratores, uides uocationẽ, electionẽ, iustificationẽ esse Dei non nostram, cũ nihil aliud sit in nobis, quã peccatũ & damnatio: tam certos nos facit Apostolus, de ista Dei gratia, ut nulla creatura nos à Deo possit separare. Si nulla, ergo nec Sathã, qui posset ergo sordidũ peccatum? Dominus pugnat pro nobis, nos sabbatũ agimus. Taliũ locorũ plena est scriptura, adeo, ut ferè ubiq; pugnet contra merita nostra, & Liberũ Arbitriũ. His qui non uult moueri, lapis sit, necesse est, maxime cũ audit propriũ filiũ Dei, pro se datũ, nõ adoptiuũ aut Angelũ, aut hominẽ aliquẽ: quæ ergo maior erga nos possit esse Dei dilectio? **TRADIDIT.** Scilicet in mortem.

Qui

### Qui fieri potest?

Certissimum argumentum. Si dedit in mortem filium suum unigenitum, per quem omnia fecit, & qui heres est omnium creaturarum, qui fieret, ut etiam non daret hereditatem? Contempnus sane quidam hereditas est herede: Abraham contempsit hanc, cum herede careret, dixit enim: Quid mihi cum diuitijs, quas mihi dedisti, heres nullus est? Ergo constanter credendum, quod Deus dederit pro nobis, & nobis, Esaiæ. 9. suum filium, ergo cum illo, & in illo omnia accepimus, itaq; Christiani domini sunt omnium: uerum quemadmodum ridet caro sententiam predestinationis, ita & ridet hos dominos, nam uidet eos despectos, & formis crucis obnoxios, dicit enim: Sunt hi reges? O egregios mundi principes, interim nos talia non curantes certum sumus, cum filio data nobis omnia, cuius pedibus omnia sunt subiecta, Psalm. 8. Non igitur redigamur sub potestatem ullius hominis. 1. Corinth. 7. aut creature, cum sint omnia nostra. Magna hæc sunt, quæ tamen Paulus, ut sentit non satis potest explicare.

Carnales rident gloriam piorum.

### Quis intentabit?

Quis quæso nos accusabit? nam si quis uoluerit accusare, quem habebit iudicem? Deus illum non audiet quomodo enim ferret accusationem in dilectos filios suos? Si filij sumus, ille pater est, non ergo iudex. Vix maior possit imbecillibus conscientijs adhiberi consolatio-

## Deus est qui iustificat.

Qui fauet, ille remisit omne peccatum, ergo nō est quod accusetur. O nos stultos, qui in adfectione cōscientiæ, respicimus in merita, in peccata nostra: inefficata sunt omnia, nō potest te accusare Sathanas, quod minus bonorum operum, quàm oportebat feceris, neq; etiam peccatum te iugulabit, cum Deus per Christum sustulit illud. Subiungit autem & aliam interrogationem, quo magis exponit, optimum & Apostolicum suum adfectum erga omnes Christianos, dicens.

## Quis ille, qui condemnet?

Nemo. Ecce hic.

## Christus est, qui mortuus est.

*Gloria nostra*

Nullum hic est peccatum in sanctis, quo condemnentur, peccatum eorum omne Christi morte est sublatū. Præterea, ille ipse Christus, qui mortuus est, resuscitatus est, in iustificationem nostri, nam mori Christum, nihil profuisset nobis, nisi & ex morte in uitā transisset hæcq; est gloria & uictoria nostra. Insuper ille Christus sedet ad dexteram patris, id est, rex est & dominus omnium, uti pater, & intercedit pro nobis, id est, summus est Pontifex, placans patrem quem offenderamus peccatis nostris. Quomodo ergo quispiam condemnaret nos, quum Deus ipse nō sit iudex, sed pater noster? Christus uero interpellator noster apud patrem. Si hi non accusant & condemnant nos, nemo poterit nos accusare & condemnare.

Quis



## Quis nos separabit a dilectiōe dei?

Id est, qua nos ipse diligit, uel qua nos diligimus Deum, siquidem dat nobis gratiā, ut ipsum diligamus: malo tamen intelligi de Dei dilectione in nos, ut infra: Per eum qui dilexit nos, ut eadem sit sententia, quæ hic est: Quis nos separabit à dilectione Dei? cum ista, nemo poterit nos rapere è manu patris, nā nostra dilectio se penumero fluctuat, uti Davidis & Petri Apostoli.

## Num afflictio.

Scilicet, separabit, aut aliqua crux: Minime.

NVM FAMES? Nequaquam.

## Num gladius?

Nullo pacto. Siquidem hæc omnia sunt talia, quæ ad uitam Christianorum pertineant, ideoq; ex Psalmo uersiculum adscripsit, quo sanctorum animus & cōstantia in omnibus his declaratur. Dicunt igitur, quo modo non mortē, famem &c. toleraremus, siquidem in hoc nati sumus, ut per totam uitā patiamur, & ueluti oues in laniam pertrahamur.

## Propter te.

Scilicet, O Deus, propter tuum nomen, quia tantopere nos diligis & conseruas, quod nos agnoscetes profitemur coram toto mundo, tuam uirtutem & misericordiam: hoc quàmprimum facimus

COMMENT. POMER.

TRADIMVR MORTI. Id est, mūdus nos per  
sequitur. TOTA DIE. Id est, iugiter.

Habiti sumus uelut oues desti  
natæ maectationi.

Quæ, scilicet, ab hominibus in id tantã seruantur  
ut maectentur. Aestimamur & nos pariratione à mun  
do, indigni hac uita: Sunt autē omnia nobis dulceta per  
Christum, quem eadem passum scimus, qui non alia uia  
quàm per crucem in gloriam ingressus est, ideo sub  
textuit.

Verū in omnibus his superamus .

Id est, per tot pericula, non deficimus à Deo:  
meritis ne nostris? non, sed per eum, scilicet, Deum,  
qui nos dilexit, is enim est pro nobis, ideoq; nihil nobis  
potest obesse.

Nam mihi persuasum habeo.

Id est, certus sum, siue uiuam, siue moriar.

Quod neq; mors, neq; angeli.

Scilicet, mali. Dicit uero hæc Paulus hyperboli  
eōs, simul quoq; bonos angelos intelligens, tametsi ne  
minem à Deo abstrahant, quemadmodum & in Gala  
tis loquitur: Etiam si angelus de celo &c. quod tamē  
fieri non potest, ut angelus bonus prædicet contra Dei  
uerbum. Significat uero in ijs omnes creaturas, bonas  
& malas, quæ omnes cooperantur nobis in bonum,  
tantum

*tantum abest, ut separent à Deo, tamen si uideantur nõ  
nunquam id uelle.*

**Principatus.**

*Id est, omne quod magnum est in mundo, qualia  
sunt, sapientia & potentia humana.*

**Potestates.**

*Scilicet, nequitie huius aëris, aut mundi, Ephes. 6.*

**Neq; instantia.**

*Id est, illa quæ iam adsunt, etiamsi pessima sint.*

**Neq; futura.**

*Id est, quicquid malorũ cominatur nobis mundus.*

**Neq; altitudo, neq; profunditas.**

*Id est, neq; cælum, neq; infernus, neq; terra, neq;  
gloriosum, neq; contemptum in mundo.*

**A dilectione.**

*Scilicet, quam adsecuti sumus per Christum Iesum  
Dominum nostrũ. Vides quæ hætenus scripta sunt esse  
ignita uerba, quæ debebant permouere corda nostra,  
ne resiltremus in periculis, cum sit perseuerandum in  
illis, secundum Domini uoluntate. Et nisi id fecerimus, **Cruce Christi**  
non agnoscet nos suos. Siquidem persecutio seu **anorum tesse**  
est tessera Christianorum, qua illius filij agnoscemur. **ra.***

**CAP. IX.**

COMMENT. POMER.

**A**BSOLUTA prima parte, in qua docet, quomodo peccatum nostrum sit agnoscendum, & unde remedium, nempe remissio peccatorum, sit petendum, tractanda est & altera pars, quanta fieri potest diligentia, discemus enim ex ea, ad quos pertineat gratia, uel peccatorum remissio: tamen si in superioribus quoque illa nobis descripta sit, uerum quia imbecilles & infirmi sumus in his intelligendis, fusiore & frequentiore declaratione opus est. Si igitur non ex nostra iusticia, aut uiribus, consequimur salutem, sed ex proposito Dei, consequitur, ut illi tantum saluentur, quos Deus uult: sed quamdiu uiuimus, murmurat caro contra hanc sententiam predestinationis. Spiritus uero, qui intelligit sensum Domini, non reluctatur, sed se submittit: quare res cum ita nobiscum habeat, quomodo possumus secundum carnem, non impij & blasphemj esse in Deum? nam ubi uidemus, non ualere nostra opera, statim inferimus, ergo damnabimur, nam si in Dei uoluntate est, qui scimus, an nostri cura habeat? tyrannus est, iudex est, immitis, potens, nulla spes nobis penes illum: sic iudas perijt, & Cayn. Ex hac impietate, nemo nos potest liberare, nisi sola Dei gratia, neque unquam orabimus: Fiat uoluntas tua, dum sic sentimus: Deo ut nos commendemus, & in nihilum transeamus, necesse est, qui si etiam uelit nos damnatos, presto simus: at nemo consentiet, nisi spiritu Dei sit plenus. Omnes dicimus haec uerba: Fiat uoluntas tua, sed per hypocrisin: qui uere dicit, non

Caro predestinatione, quomodo offendatur.

Ind. C. 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20. 21. 22. 23. 24. 25. 26. 27. 28. 29. 30. 31. 32. 33. 34. 35. 36. 37. 38. 39. 40. 41. 42. 43. 44. 45. 46. 47. 48. 49. 50. 51. 52. 53. 54. 55. 56. 57. 58. 59. 60. 61. 62. 63. 64. 65. 66. 67. 68. 69. 70. 71. 72. 73. 74. 75. 76. 77. 78. 79. 80. 81. 82. 83. 84. 85. 86. 87. 88. 89. 90. 91. 92. 93. 94. 95. 96. 97. 98. 99. 100.



non aliud quàm hoc uult quod Deus, qui si hunc uelit  
 perdere, non remurmurat: si etiam saluare, non inani  
 gloria, ut solet caro, attollitur: submittit se, amore dum-  
 ctus, uoluntati eius, nō autem desperatione, id quod in  
 impijs cernimus. Si amor carnalis multa dura & mala  
 sustinet ppter puellā, hæc q; nō curat, nec sentit esse du-  
 ra & mala, quomodo dilectio in Deū non sustineret & Dilectio uera  
 perferret in nobis omnia? Et huius exemplū, se ipsum ra Dei  
 hic Paulus nobis proponit, cū dicit se uelle Anathema  
 esse à Christo pro fratribus. Ecce quàm pius affectus,  
 quem in Mose quoq; uides, cum dicit ad Dominū: Re-  
 mite hanc culpam populo, aut dele me de libro uiuen-  
 tium. Hæc dicta sunt per hos uiros coram Deo, non ex  
 hypocrisi: hoc deniq; uere est abnegare seipsum, sed  
 horrendum est carni. Hunc affectum qui senserit, nem-  
 pe, quod potest se Dei uoluntati committere, etiam  
 si uelit damnare, damnari non potest, nam per omnia  
 gloriam Dei, & salutem proximi querit. Nostra fragi-  
 litas ad hunc affectum non peruenit, non audemus ta-  
 lia cogitare, nedum cupere. Sed interim hæc nostra est  
 consolatio, quod uidemus multos in specie bonos, dāna-  
 tos esse, ut Saulē: multos abiectos, iustificatos, ut Dau-  
 dem homicidā & adulterum, cum tamē illi posset Saul  
 præferri humano iudicio. Ergo hic uides nobis propo-  
 ni hoc quod non intelligimus, non quod curiositas nos-  
 tra possit indagare: Dei iudicia sunt & consilia, non  
 nostra: illi, in omnibus quæcunq; geruntur, nobiscum

COMMENT. POMMER.

Prædestina-  
tio cōsoletur  
nos.

Dei  
in Deo

adscribamus necesse est, non nobis, nam nostra tantum  
est confusio, & illius gloria. Quando igitur turbamur  
ob prædestinationem, gaudere debemus, nam ea turba-  
tio, portio quædam est salutis. Estq; planè illud, quod  
Christus in Matthæo dixit, esurire & sitire iusticiam.  
Qui uero sunt absq; spiritu Dei, sententiam huiusmodi  
prædestinationis irrident. Vacant autè omnes Dei spiri-  
tu, quotquot Deum non timent, neq; turbantur ex ag-  
nito peccato, hi non sitiunt iusticiam, ideoq; neq; satu-  
rabuntur. Si seruauerimus hunc ordinè, quem hic Pau-  
lus seruat, in Christianismi forma, utilis erit nobis præ-  
destinatio. At si alia uia ingrediemur, nempe, initium  
sumentes à prædestinatione, non à peccati agnitione in  
nobis, erit nobis damnosa omnis prædestinationis cogi-  
tatio, incidemus enim in laqueum, & excæcabitur.  
Sed uide quæso, Pauli ordinem, à peccato Gentium &  
Iudeorum, Epistolam auspicabatur, mox iusticiam &  
gratiam, qua tolleretur peccatum, depingebat, hac au-  
ctâ, pugnam nasci perpetuam in nobis contra peccatū  
docebat, in qua mortificaretur, & destrueretur uetus  
homo (hæc enim est crux) His omnibus primum dili-  
genter inculcatis, coepit in posteriore loco, de prædes-  
tinatione agere. Quem ordinem non est, quod tantum  
requiras ex ipso textu, imò ipsa conscientia te edoce-  
bit, ut in Octauo dixit de spiritu. Ergo stultissime er-  
rant, qui dicunt: Si scirem me prædestinatum ad uitam,  
faccerem bona opera, melius instituerem uitam, &c.

Pij contra

Pij contra, qui sciunt salutem in manu Dei positam, cū laudant & prædicant, certi sunt se non è manu illius rari posse. Sciunt se in ipso uiuere & mori: Liberi Arbitrij adsertores, qui eò non perueniunt, hæc omnia continentunt, & stulticiam quandam uocant. Et quemadmodum non potes satis eloqui, cur tibi ignotus quispiã donet mille aureos, ita neq; intelligis, cur te Deus (si uoles in te totum respicere) saluet. Scimus ergo & nõ scimus, nos esse Dei filios, nam in Psalmo dixit: & scinote, quoniam segregauit Dominus sanctum &c. Deinde non scimus, quia uidemus in tota scriptura per spiritum nos admoneri, de Dei in nos bona uoluntate, nihil enim frustra is agit: id ipsum quanta diligẽtia hic quoq; Paulus id fecerit, per eundem spiritum, iudicabit mens Christo obnoxia. Nihil autem, quàm hanc & similes sententias, in tota illa disputatione de prædestinatione, explicauit: Qui uult me sequi, abneget semetipsum. Quare ignari sunt Scripturarũ & omnis pietatis, quicunq; hac Paulina disputatione offenduntur: multa qui ritantur de Libero Arbitrio, & suis bonis operibus, sed non sunt operarij & cultores uinæ Domini, uerum canes & porci, qui eam tantum depopulantur. Sit autem hæc summa trium sequentium Capitum, Noni, Decimi & Undecimi: Gratia de qua hactenus diximus, datur ijs qui non sunt meriti, siue ij sint ex iudæis, siue Gentibus: qui autem somniant sibi merita, & sua bona opera, illi abijciuntur, qui enim querunt iusticiam, non in-

Pij certiss. è  
prædestinati  
one consolati  
one habet.

COMMENT. POMER.

ueniunt, & qui non querunt, inueniunt. Fuit autē maxime necessarium, ut illa doceret Paulus, ne quā dubitarem de gratia.

Veritatem dico.

Occupatione Pathetica utitur, quo magis perspicuum fiat, quā uehementer doleat perire iudeos, ex quibus ipse quoq; natus erat. Hunc adfectū habent omnes Christiani, cum audiunt quosdam perituros: at ubi uident id Dei negotium esse, committunt omnia ipsius iudicio, & dicunt: Fiat uoluntas tua. Videt uero libenter in nobis Dominus talem adfectum, quia testatur cor nostrum, ex equo in omnes homines, siue amicos, siue inimicos, ex summa dilectione propensum. Non potest enim quenquam odisse charitas, quæ docet, increpat, rogat, inuocat, omnia pro inimicis facit, dum sperat illorum salutem, & temporalem & æternam. Sed fides, quæ in Dei tantum uoluntatem dirigit oculos, dicit: Domine, tu es qui perdis & redimis, pereat, qui periturus est, glorificetur, qui glorificandus est, tua enim est potentia, non nostra. Itaq; dicit Paulus: Veritatem dico id est, uerum est testante id ipsum in me Christo. Vides hic Paulum iurare, at non in sua causa, non decet enim Christianū, ut uel iuret, uel litiget, aut uindictā querat propter se. Iurarūt Apostoli, sed propter fratres, propter Dei gloriā amplificandā: poenas sumit Magistratus de malis, at non sua causa, sed Dei & proximi. Et addit.

Attestante



## Attestante conscientia.

Id est, non loquor contra bonam meam conscientiam. Sed quomodo esse potest bona conscientia? per spiritum sanctum. q. d. hæc mea conscientia me fallere non potest, nam testimonium dat illi spiritus sanctus quod non erret. Quare hic discas, non satis esse nostram conscientiam, in operibus aut institutis quibuscumque pijs, nisi ipsa per Verbum Dei rectificata sit: unde fit, quod blasphemie fuerint nominis Dei omnes nostræ Missæ, omnes item Monachorum macerationes. Ergo impium est habere fidem conscientie suæ, nisi uideat eam esse Verbo Dei conformem, & per omnia respondentem. Addit uero

Missæ.

## Quod dolor magnus.

Quomodo non doleam, aut uehementer crucier, qui uideam perituros Iudeos? nam omnia secundum Dei gratiam fiunt, non secundum opera legis, aut merita humana, quibus tamen illi inuicuntur.

## Optarim enim Anathema esse.

Id est, excommunicatus, separatus, maledictus, & cui nihil sit commercij cum Christo, quod sane nihil aliud est, quam sese dedere æternæ damnationi. Is adfectus fuit in Mose, cum ait Exodi. 32. Dele me de libro, quem scripsisti: cui Dominus respondit: Qui peccauerit mihi delebo eum de libro meo. q. d. ista charitas, qua te exponis pro fratribus, significat te non esse pendendum, usque adeo est impossibile, ut hi pendantur, qui hoc adfectu insignes.

COMMENT. POMER.

*sunt: at paucos inuenias, in quibus hūc deprehendas.*

Qui sunt Israelitæ.

*Nam ex Israël sunt oriundi.*

Quorum est adoptio.

*Id est, ad eos pertinet hereditas filiorum Dei, tamē non saluantur, quia respiciunt in se & dona, non in donantem Deum. Si ergo tales abiiciuntur, quorum ea adoptio, quid futurum est nostris sanctis, qui tantum in sua stercorea iusticia gloriantur? Horrendum sanē est contra Iudeos, quod dixerunt Apostoli in Actis: Ecce conuertimur ad Gentes.*

Et gloria.

*Scilicet, à patre, quod scilicet essent filij Dei, quæ sanē ineffabilis est gloria.*

Et testamenta.

*Scilicet Dei. ET LEGIS CONSTITVTIO. Id est, ipsa tota lex, quemadmodum Psalm. dicit: Non fecit taliter omni nationi &c.*

Et cultus

*Dei, nam reliquæ Gentes in hoc errabant, cum nihil haberent certi à Deo præscriptum.*

Et promissiones.

*Scilicet, & presentis & æternæ uitæ.*

Quorum sunt patres.

*Patriarchæ, Prophetæ, quæ est maxima eorū gloria.*

**Et ij, ex quibus Christus est.**

Hic clare uides dici, Christum Deum esse, quamuis id per totum Iohannis Euangelium tractetur, imò tota Scriptura passim nihil aliud agit, quàm ut id nobis clarum faciat: unde curiositatis esse putauerim, unū atq; alterum locum tantum in Scrip. in hoc obseruari. Sed redibunt Arriana tempora, & homines absq; fide, qui negabūt, & Christū & Spiritū, scilicet esse Deū, quod quid aliud erit, quàm negatio remissionis peccatorum?

**Non autem hoc loquor.**

Vt maxime illi pereant, tamen ueritas & Dei promissio manet firma. Non hic agitur secundum prerogatiuas, quas habuerunt Iudæi secundum carnem, sed simpliciter secundum Dei uoluntatem, qui iusto suo iudicio, carnalem Israël abijcit, spiritualementem autem suscepit. Verax est Deus in suis promissis, quantumuis etiam multi interim pereant, pertinent enim ad credentes non ad impios, Dei promissiones.

**Nō enim omnes, qui sūt ex Israël.**

Est expositio sententiæ præcedentis: nihil illi cum semine Abrahamæ Filij Abrahamæ secundum carnem, nihil illi cum semine Abrahamæ primo secundum carnem, & Ismaël erat filius Abrahamæ genitus, non tamen à Deo pro filio Abrahamæ habetur, uult ille tantum eos, qui per promissionem sunt Abrahamæ filij, qualis erat Isaac. Ideoq; & Christus Iudæos in Iohanne reprobatur, dicens. Si filij essetis Abrahamæ, utiq;

COMMENT. POMER.

faceretis opera Abrahæ, id est, crederetis in Deū, quem  
admodum ille credidit. Fides filios Dei facit, non caro :  
ergo omnes sunt impiorum filij, quotquot iusticijs ex-  
ternis nituntur. Sic conciliabis Iohannem & Christū,  
dum uarijs nominibus tuæ eos appellant: iam gemina  
uiperarum, nationem prauam & adulteram, nunc ex  
Diabolo patre natos. Ex Ismaëlis familia, sunt omnes  
Monachi & operarij carnis, qui superbiunt corā hoc  
mundo, & quibus primus, propter sanctitatem, qua ni-  
tent externe, defertur honos. Ex Isaac autem familia,  
qui ignorant bona opera, quibus confidunt, sed tantum  
Christam crucifixum nouerunt.

Sed qui sunt filij promissionis.

Promissio Dei, est fides nostra, id est, quicunq; fide  
Deo promittenti credunt, hi sunt uerū semen Abrahæ.

Promissionis enim sermo hic est.  
In tempore hoc.

Ut in Genesi legis. q. d. Dominus: Vbi ad te re-  
diero, anno reuoluto, habebis ex Sara filium. Mirū est,  
si infœcundam & uetulam mulierē, aut in senem Abra-  
hamum respiciamus, sed hic fœcundum est Verbum  
Dei, ut maxime infœcundi sint, Sara & Abraham,  
ergo fidei filius est Isaac, non carnis: Deus carnem non  
moratur, quicquid etiam feceris tuis uiribus. Itaq; scie-  
tis clarum est, ex primo exemplo, de duobus filijs  
Abrahæ



Abrahæ, solam fidem & Dei promissionem facere filios Dei.

### Non solum autem hoc.

Alterum est exemplum, quo sententiam suam communit Apostolus, nempe, sola Dei electione nos fieri Dei filios, non nostris meritis aut uiribus. Potuisset enim sapientia carnis sic contra obijcere. Non mirum est Ismaëlem abiectum, quia fuerat natus ex ancilla, ipsum uero Isaac susceptum in hereditatem, quod Sara domina eum enixa sit: hanc obiectionem Paulus diluens, alterum hoc opposuit exemplum de Iacob & Esau, quo sanè grauissime perstringit in uniuersum totam humani ingenij, ac rationis acrimoniam, ut palam uideas, hic nihil aliud in causa esse, quod maior abiectatur, & minor seruetur, quam solam Dei, quæ latet omnem sapientiam carnis, uoluntatem & electionem, tamen si etiam hereditas ad matorem natu, secundum legem (Deuter. 23.) pertinebat. Hic non dixeris, Deum fecisse contra legem, nam legem dedit hominibus, sub qua omnes concluderentur, ipse uero sub ea concludi non uoluit, liberum est illi quiduis agere. Ergo non alia huius facturatio hic dari potest, quam prædestinatio.

Electione filij  
facti sumus  
non merito.

### Rebecca ex uno conceperat.

Scilicet, congressu. q. d. Paulus: uerum est, diuersas matres fuisse, diuersos congressus carnis, in prima

C O M M E N T . P O M E R .

exemplo, at in hoc, una est mater, unus congressus, tamen qui primus nascitur, abijcitur, posterior benedictionem Dei obtinet, id quod declarat.

Nondum enim natis pueris, cū neque boni &c.

Merita non  
sua nulla.

Eccē ubi hic est meritum, cum nondum essent nati, omnia aguntur occulto & admirabili Dei iudicio.

Vt secundum electionem, propositum maneret Dei.

Id est, illud tantum firmum esset, quod Deus secum statuerat, ut cum quæreretur, quare sic factum est, responderetur, Deus sic uoluit.

Non ex operibus.

Scilicet, quæ nulla adhuc fecerant, quia nondū nati.

Sed ex uocante.

Id est, uoluntate Dei. DICTVM EST ILLI. Scilicet Rebecca, non propter opera, quæ non fecerant, sed propter Dei uoluntatem.

Maior seruiet minori,

Sic iudicauit Deus de illis, antequam nascerentur, etiam contra omne ius primogenituræ. Isaac uolens benedicere primogenitum Esau, impeditur, nam non hunc, sed ipsum Iacob primogenitum Deus habere uoluit. SICVT SCRIPTVM EST. IN Malachia.

Iacob

Iacob dilexi, Esau odio habui.

Quare hunc dilexerit, illum oderit, nescimus, sic illi placuit.

Quid igitur dicemus?

Hic non potest non obmurmurare ratio contra Deum, dicit enim hæc audiens: Ergo deus est iniustus, qui ista facit, nam hos abiicit, illos saluat, sine omni uel merito uel demerito: si omnes saluaret, id esset immesse eius bonitatis & misericordiae indicium, & hanc putassem eius esse naturam propriam: quemadmodum lapis non posset sursum agi natura, ita nec Deum cum bonus sit, quenquam posse abicere. Respondet Apostolus.

ABSIT. Id est, non est iniustus, qui hæc faciat, uerum manet iustus.

Nam Mosi dicit, miserebor.

Deus nulli hominum quidquam debet, ideoque nemo illum accusabit: quemadmodum si Petro darem centum aureos, Iohanni nihil, & neutri deberem, hic dices, quid in causa fuerit, quod Petro dederim? liberalitas: quid in causa, quod Iohannem præterierim? mea uoluntas, quod dare noluerim (nihil hic dico de charitate, quæ non querit delectum). Quid ergo hic dicet ratio? garriet multa, at nihil huius negotij intelliget: uerum certo sciamus, nos omnes in damnatione esse natos, nec debere nobis Deum, ut nos ex ea liberet, iuste ergo omnes damnamur, si autem qui saluantur, id misericordiae & beneficio Dei seruamur.

COMMENT. POMER.

tribuamus necesse est. Nullum hic audis meritum, nihil in nobis esse, quod Deum placatū nobis reddat, id quod satis est manifestū ē posteriore exemplo. Ille itaq; Deo placet, cui Deus placet, ut inquit Augustinus, quiq; uident tam diuersa eius iudicia, dicit: Fiat uoluntas tua. Hoc item in parabola Euangelica Matthæi. 20. exprimi uidemus, ubi paterfamilias dicit: An non mihi licet facere quod uolo, nunquid me mouebit, quod oculus tuus nequam sit, qui contra beneficentiam meam toruam dirigit aciem? Blasphemus es, legē mihi uis prescribere, ast ego non quod tu, sed quod ego uolo, faciam.

Itaq; non est uolentis.

Scilicet, hominis salus, uel illud quo indiget.

Nec; currentis.

Id est, annitentis & conantis suis omnibus uiribus. Non Liberum Arbitrium, nō nostra sanctitas hinc quidquam est, sed sola Dei misericordia.

Dicit enim Scriptura, in hoc ipsum excitauī te.

Id est, magnum feci.

Ut ostendam in te potentiā meā.

Pharaonis  
horrendū ex-  
emplum.

Hic Deus abusus est (si dicere liceret nostro iudicio) Pharaone, quem creauerat, & in amplissimum regnum constituerat, ut notum faceret in eo suam iram & potentiam, non Pharaoni, uerum toti mundo: Perdidit illum



dit illum propter electos, unde discerent omnes homines, in Dei solius manu omnia esse, non in nostra, quod tam horrendo exemplo, debebant moueri principes & tyranni nostri, qui haud aliter iusto Dei iudicio, sunt indurati contra populum Dei, quem nolunt dimittere ex Aegypto.

Itaque cui uult miseretur.

Conclusio est, omnia sunt in illius uoluntate, non nostra. DICES ERGO MIHI. Scilicet, o homo.

Quid adhuc conqueritur.

Scilicet, Deus. Secundum est argumentum carnis, quod per occupationem infert: Si Deus est author bonorum & malorum, facitque nos peccare, si eius uoluntas est ut peccemus, quod iam in Pharaonis exemplo deprehendimus, cur ergo nos accusat & damnat, cum ipse potius sit accusandus, qui haec faciat? Haec est stultitia sapientiae nostrae, aliud enim inferre non potest, uultque alligare Deum suae rationi, ut faciat non quod uult, sed quod illa intelligit, suo carnali iudicio, & dum maxime uult sapere, maxime Deum blasphemat. Est ergo inimica Deo, Roma. s. mouetque perpetuo bellum contra illum, ut quondam Gigantes contra Iouem, ut fabulae aiunt. Est igitur omnino insolubile hoc argumentum, ut Paulus in fine Cap. 11. indicat: neque aliud habemus, quod dicamus, quam o profunditatem &c.

Impij cur creentur.

Creat uero ob duas causas impios Deus, Primum pro-

pter se, ut ostendat in illis suam potentiam. Secundo, propter electos, ut uideant quantum gratiæ ab illo acciperint, & ut per illos exerceantur, & saluentur: nam plurimum exempla illorum nos exercent, ne scilicet ignari iudiciorum Dei impingamus in illa. Ergo non frustra nascuntur impij, Deus illis utitur, & Sathanæ regno in suam gloriam manifestandam. Multus est in his Hiob, quem uidere potes, ubi cū amicis suis uarie de his rebus disputat, quare Deus neutiquam est accusandus qui illos creauit, qui eius Verbum abiiciunt, nam pari ratione posset obstrepi Deo, cur uenenatas bestias creauerit. Sed audi impietatis uocem, quæ nõ uult reprimi.

**Nam uoluntati eius, quis resistit?**

Cogor facere quod uult: si igitur non saluor ex bene factis, cur damnabor ex male factis, nã nõ ego quod malum perpetro, facio, sed ille. Sed respondet Paulus

**Atqui o homo.**

O miser, tu figmentum es, & creatura, uis illi præscribere legem quid faciat: ecce disceptas cum eo, quo quid stultius dici potest? Nonne ridiculū est, si figmentum se figulo opponat, & dicat: Quare me sic formasti? Sed quid ille respondet? Nunquid lutum in manu mea est, an nõ possum eo uti ad uasa formanda honoris, id est, quæ etiam principibus possunt digne apponi, & ad uasa ignominie, id est, in quæ recipiantur sordes, & abijciantur.

Ideoq; Deus uolens ostendere iram, tulit.

*Id est, protulit, ne intelligas sustinuit, quod uerbum satis horrendū est, profert enim impios, ut figulus uasa sua.*

Multa animi lenitate.

Non est ut ex hoc loco probes, Deum non libenter damnare impios, imò ideo profert, ut in illis exerceret suum iudicium, sed postquàm protulit illos, fert patienter eorum blasphemias & contemptum, ut Pharaonis, & patitur Deus ab illis, in electis patientibus &c.

*Electis tantū contingit gratia.*

Vt notas faceret diuitias gloriæ.

*Id est abundantiam suæ beneficentiæ.*

Erga uasa misericordiæ.

*Id est, ipsis electis, ut intelligerent, experirenturq; ipsum solum esse potentem, & omnia agere potenter.*

Quos & uocauit, nimirum nos.

*Iam quod coeperat, pergit clarius exponere, nempe, gratiam non contingere, nisi electis, uel prædestinatis: Iudæos uero abijci, Gentes suscipi: & in summa Iudæorum & gentium salutem constare electione, & Dei uocatione. Ait ergo, nos scilicet Christianos, uel Apostolos.*

Non solum ex Iudæis.

*Qui tamen soli uidebantur pertinere ad gratiam.*

COMMENT. POMER.

Verum etiam ex Gentibus.

*Scilicet Idololatriis, in quibus nemo quicquam meritū uideri potuit, erant enim Dei hostes.*

Quemadmodum & Osee dicit, Vocabo populum.

*Hic populum Dei uidemus fieri, Dei uocatione, non meritis.*

Qui meus non erat.

*Gentes enim non dicebantur populus Dei secundū rationē temporis, non censebantur tum in populo Dei: coram Deo uero, ab æterno fuerunt Dei populus, quia dilexit eas ante mundi constitutionem.*

Et eam quæ dilecta non erat.

*Id est, quā non diligebā, Die meyn bul nit uuar, Sic enim Scriptura, quasi de muliere loquitur.*

Et erit ubi dictum fuerat eis.

*Id est, ubi olim Deus dicebat Gentibus: Non estis populus meus, illic postea eis dicet: Vos estis populus meus. Vides ergo hic solam gratiam nobis commendari, quia primum populus Dei efficitur, deinde dilecta, postea filij & heredes.*

Esaias autem clamat.

*Locum hunc ex Propheta de Iusticiarijs abiectis addacit, quo testatius faciat, quod dixit. q. d. Innumeri erunt operarij, & qui in suis uires respicient, non in*



non in Deum, sed ipsi perdentur, & tantum reliquie,  
id est, pauci salui erunt, quod factum est in Apostolis,  
& iudæis credentibus.

### Sermonem enim perficiens.

Lege potius perficit & abbreviat, pro participijs.  
Et pro, cum iusticia, in iusticia, Paulus hunc locum cita-  
uit ex Septuaginta Interpretibus, non ex Hebræo. Si-  
quidem Romanis gnaris Græcæ linguæ, in manu erant  
Græca, non Hebraica biblia. Sunt in Hebræo alia uer-  
ba, at non alia sententia: in Paulo est obscurior. Vulgo  
sic interpretantur, quod Deus antea sub Veteri Testa-  
mento, dederit multa uerba, ceremonias, leges & præ-  
cepta, quæ omnia uoluit in Nouo Testamento colligere  
in breue quoddam uerbum, nempe, Dilige proximum,  
& crede Verbo Dei. Nunc ergo abbreviatum est, &  
consummatũ, perfectumq; id est, quod solum perficit,  
& in nobis consummat Dei iusticiam. Nihil iusticiæ cõ-  
sequebantur ij, qui uuebant secundum Legem Mosi,  
& externa eius opera, ut maxime perpetuo multa præ-  
ciperet, & urgeret. Videtur tamen alia posse colligi  
ex uerbis Prophetæ sententia: quod hic uerbũ habet in  
Propheta cõsummationẽ dici scias. q. d. Cõsummatio,  
id est, finitio, uel finis aderit in hoc populo, in iusticia,  
scilicet, fidei, nã hoc solũ perficit, & cõsummat omnia:  
lex infirma est, nõ potest præstare uires faciendi, quæ ex  
igit. Paulus uero, non de Verbo breui, citat hũc locum,

Verbum ab-  
breuiatum.

C O M M E N T . P O M E R .

sed de reliquijs saluandis tantum, ut si uelis ex Esaiâ interpretari, hæc sit sententia. Sermonem perficit & abbreviat in iusticia, id est, Dominus finiet, siue perficiet, & breuiabit numerũ sui populi Iudaici, ut paucis uerbis numerari possit: & hoc in iusticia, id est, ille numerus paucus reliquiarũ erit iustus, siue fidelis, alijs in infidelitate pereuntibus &c. Quemadmodum hoc etiã annotauimus in Esaiam: & planè hanc sententiã uult Paulus. q. d. Videntur iam multi esse, qui sint populus Dei, uerum futurum est, ut paucissimi fiant, & qui statim numerari possint. Es uuirt mit dem zeln yetzund behend zu gehn.

Et quemadmodum prius dixit.

Scilicet, Esaias in primo capite.

Nisi Dominus Sabbaoth reliquisset nobis semen.

Id est, reliquias, nam semen pro filijs accipitur, qui sunt illæ reliquæ. At scias cum emphasi dictum, reliquisset. q. d. Ipse uoluit ut aliqui salui fieremus, aliàs omnes, ut Sodoma periissemus, ubi nemo remansit. Dominus ergo nos reliquos esse uoluit, non nostro merito, aut carnis sapientia.

Quid igitur dicemus?

Id est, quæ est nostra sententia ex his uerbis, quæ tractamus, & quæ summa? et respondet: hæc est summa eorum quæ tractamus.

Quod

Quod gentes quæ non sectabantur iusticiam, apprehenderunt iusticiam.

*Id est, illi, qui omnino erant impij & idololatre, inimici Dei, qui nihil boni fecerant, neq; facere potuerant facti sunt populus Dei, & sunt iustificati per solam gratiam, eo quòd Deus eis suum Verbum miserit, quo credentes sanati sunt, quod exponit.*

Iusticiam autem eam quæ est ex fide.

*Id est, quæ tantum coram Deo ualet, quæ non est ex hominibus, sed ex mera Dei misericordia, qua iustificat quos uult, non eos, qui uidentur meruisse hanc iusticiã.*

Contra Israel quæ sectabatur.

*Et hoc quoq; ad summam presentis disputationis pertinet, nempe, quòd iudæi qui uidebantur seruare legem, facere omnia, quæ Dominus mandarat, nihil effecerint suis operibus coram Deo, inò sint abiecti, & dicantur iam non esse populus Dei.*

Propter quid?

*Scilicet, id factum est, aut cur non peruenerunt ad legem iusticiæ?*

Quia non ex fide.

*Scilicet, sectabantur iusticiam.*

Sed tanquam ex operibus.

Id est putabant iusticiam, operibus cōparari, quod tamen est contra totam scripturam: in hoc itaq; falsi sunt. IMPEGERVNT ENIM Scilicet, Iudæi.

In lapidem offendiculi.

Christus alijs  
salus alijs of=  
fendiculum.  
Scilicet, qui semper manet, Christum: quibusdam enim est salus, uita, & resurrectio: multis autem ruina & offendiculum. Debebant uero Iudæi permoueri per hoc, quod Propheta dixerit duabus domibus Israël, & non Gentibus, id quod ipsi libenter tulissent. Vide quæ Simeon dicat in Luca de Christo, & quæ hic sequantur.

Ecce pono in Sion.

Id est, in Ecclesia mea, in populo meo, non in Gentibus, quæ adhuc populus non sunt, id quod horrendissimum est, nempe, in Christum offendere, qui proximi uidentur.

Et petram offensionis.

Id est, in quem impingant, & ad quem offendatur.

Et omnis qui credit in eo, non pudefiet.

Lapis offensionis.  
Mirus est hic lapis: necesse est hunc esse Deum, quemadmodum & sepe in Scriptura petra uocatur Deus. Qui ergo crediderit in hunc lapidem, ille non pudefiet, non confundetur, consequetur omnia, quæ sunt promissa



promissa semini ipsius Abrahæ. Rursus uero, qui alio spectarint, illi confundentur, & peribunt.

## CAP. X.

**I**dem hoc capite tractat, quod in superiore, quod scilicet absq; meritis nobis contingat gratia, & quod electi saluantur, siue sint ex iudeis, siue Gentibus. Cetero autem nequaquam potest credere, eos abijci, qui querunt iusticiam in operibus, ut maxime audiat, id cõstantissimis exemplis Scripturam prodere. Nonne iudei erant iusticiarij, id est, fidentes operibus? Ecce abijcti sunt. Nonne Gentes ignorabant omnia bona opera? erant enim Publicani, & meretrices, ijs contingit tamen iusticia. Quare id uidēs Paulus, uehementer dolet iudeorum cæcitatem, dicens:

Fratres, propensa quidem uoluntas cordis mei.

Id est, nihil aliud magis desydero, ac obsecro in corde meo, id est, coram Deo, quàm ut saluentur iudei: & nos hodie multa dicimus contra Clericos, quos uocant, damnantes eorum iusticiæ opera, interim tamen querimus eorum salutem, & ita erga eos adfecti sumus in corde, ut Paulus erga iudeos.

Testimonium enim illis perhibeo, & studium Dei habent.

Conscientia  
bona non oīa  
fiunt quæ ui-  
dentur.

Mirum est, carnī tantum zelum non satis esse, Iudei tribuentes iusticiam operibus suis, putabant se agere Dei causam, pugnabant pro eis optima, ut eis uidebatur, conscientia, tamen contra Deum, & non pro Deo agebant. Sic hodie nostri, putabant se defendere Dei gloriam, cū eos occidunt, qui operibus bonis nihil tribuunt, sed omnia gratiæ Dei: mordicus tenent suos patres, & traditiones, arbitantes nihil in his esse constitutum, quod non ex bona conscientia, & intentione profectum sit, sed nesciūt se misere falli. Nō profecto sufficit bona conscientia, si hoc tam ardens studium in Iudeis abiicitur. Impiissima est: & impia, & cōtra Deum sunt, quæcunq; sine Dei Verbo ipsa statuit. Hoc zelo & bona intentione Christus & Paulus occisi sunt, item alij innumeri, qui Dei tantum iusticiam prædicabant. Deus igitur custodiat corda nostra, ne & hodie, alia speciositate huius oculi mali, seducamur: Videmus enim qui noui spiritus surgant, iurantes se omnia docere bona conscientia, sed ipsi uiderint. Ideo & Paulus hic subiicit, Studium habent, sed non secundum scientiam, id est, certissimam intelligentiam, quæ ex solo Dei uerbo & spiritu est, non recte intelligunt, neq; norunt, quid uelut Dominus in Scripturis.

Nam

Nam ignorantes Dei iusticiam.

Id est, fidei, qua solus Deus nos iustificat, unde & alias humanas uocamus.

Et propriam iusticiam quærentes.

Scilicet, operum, uirium humanarum. Potes ergo hunc locum obseruare diligentius, ut scias quæ sit differentia iusticiæ Dei, & operum, quæ coram Deo tantum ualeat, & quæ tantum oculos hominū fallat. Iusticie Dei & humane differentia. Fieri autem non potest, quemadmodum hic dicit Apostolus, ut simul tuam statuas iusticiam, & Dei: superbus erat Cayn, suberbi iudæi, nolebant subditi esse iusticie Dei, id est, nolebant obedire Deo, nempe negabant solam Dei misericordiam, satis esse ad salutem: quod et hodie nostri faciunt, tam duræ sunt ceruicis, & suaue iugum Christi, ut maxime commodū sit, ferre nolunt. Sed Deus suo tempore, & species contemnet & abiiciet, addit ergo

NAM PERFECTIO. Id est, finis.

Legis Christus.

Id est, Nihil tibi legis deest, nihil est quod nō impleueris, si Christum habeas.

Ad iustificationem omni credenti

Vt scilicet, Omnis qui credit in eum iustificetur: postea explicabit quid uelit, cum dicit: Omni credenti, ne iustificarij putent id quoq; de se dictum: nam sepe ac

COMMENT. POMER.

*multum iactant se credere in Deum, cum tamen ne sci-  
ant quidem Deum.*

Moses enim scribit de iusticia,

*In Leuitico, & Deutero.*

Quæ est ex lege, & qui fecerit ea  
homo, uiuet per illa.

*Qui illa, quæ in Lege sunt expressa fecerit, non pu-  
nietur, non occidetur, aut lapidabatur: uel, quemadmo-  
dum iusticia illa est carnalis, sic tantum uitam obtinebit  
carnalem, nam Lex ubiq; habet suas pœnas annexas,  
quas nemo euitare potuit, nisi qui faceret in hominum  
conspectu, ea quæ in ea præcipiebantur: habebat & p-  
missiones suas, si seruarent, quòd benefacturum esset eis  
benedictione, uberis agri, cellarij. Emphasis est ergo,  
non in uerbo uiuet, sed in, fecerit.*

Cæterum ea quæ ex fide.

*Ecce hic altam iusticiam describit, quæ est per fi-  
dem: estq; iusticia Euangelij, qua tantum coram Deo,  
& non coram hominibus, per fidem iustificatus es, ut  
supra dictum, ex qua iusticiæ prodit iste fructus, quod  
sentis de spontaneo, puro, recto, & iusto corde dilige-  
re proximum: hæc non prouenit ex Lege, sed ex Dei Spi-  
ritu, qui mouet, & agitat cor tuum, ut bene sentiat de pro-  
ximo. Hic solus facit factores legis, nõ tantum auditores,  
quemadmo-*



quemadmodum Moses: neq; unquam potest adimpleri Lex, nisi illo præsto sit, & omnia in te faciat, & opere tur. Quare impossibile est, ut iusticia Legis & speciosissima hominum opera, apud Deum ualeant: ideoq; hæc iusticia nulla planè est, nam non potest fieri. Quo modo enim fieret, cū id in te desyderetur, per quod fieri debebat: hinc Hieremias. 31. dixit: Scribam non in saxeas tabulas, sed in corda: huc pertinet Petri dictum, Actor. 15. Quod neq; nos, neq; patres &c. Deus iuste exigit à nobis hanc iusticiam, sed non præstamus, imò neq; possumus, nisi ipse suo digito Legem ipsam in corda nostra scribat. Facile itaque obseruabis, in quo iusticia Legis & Euangelij consistat: hæc tantum præcipit, & nihil implet: illa uero nihil præcipit, & tamen omnia implet, quia Christum habet, qui est Legis & Euangelij iusticia. impletto, quiq; spiritum suum donat, per quem remissionem peccatorum consequimur: is animat & hilares nos facit, ad quoduis bonum faciendum, & si quid peccatur, facit is ne imputetur peccatum, nam per peccatum luctatur cum Carne & Sanguine. Sic itaq; uides Christum quoq; dicere nobis: Hoc fac, & uiues, tuus eris: uerum ita dicitur, ut non terrearis hac uoce, quemadmodum Moses uoce territi sunt Iudæi. Non hic respicitur in uires humanas, ubi hanc uocem in corde tuo audis, sed in solum Deum, quem finis in te operari, dum tu interim Sabbathum agis. Sed audiamus Paulum.

Ea sic loquitur, ne dixeris in corde tuo.

Iusticiarij.

Id est, ne sic senseris. Estq; hoc cōtra iusticiarios dictum, qui ore nō negant Christū mortuū pro peccatis, attamen in corde sentiunt & dicunt, operibus parandā iusticiam. Vides iterum uerbum legis in ore, & saxeis tabulis tantum esse, Verbum autem Euangelij in corde, quo solo purificantur & creantur in nobis munda corda. Non uult hic Moses hypocrisin, quæ tantum in externis hæret, sed ipsum cor. Qui ergo dixerit in corde suo.

Quis ascendet in cœlum?

Hic corde negauerit Christum ascendisse, & sedere ad dextram patris. Includit autem, quis, interrogatiue negationem, id est, nullus ascendet.

Hoc est Christum ex alto deducere

Id est, ipsum detrahere de cœlo, & non credere qd ascēdit, & glorificatus sit per mortē, & regnet ubiq;.

Aut quis descendet in abyssum, hoc est Christum &c.

Id est, dicere in corde, nullus est qui descendit in infernum, in mortem, quod quid aliud est, quàm negare Christū fuisse in morte propter nos? Sic igitur erit sublatuſ Christus, ad quem confugiemus tandem? quò freti, in cœlum ascendamus, & mortem effugiamus?  
Non aliud

Non aliud proponemus nobis, quàm nostra opera & iusticias externas, nam aliter fieri nequit, quàm primū negaueris Christum uictorem mortis, & in gloriā patris per mortem restitutum. Vides ergo, quo consilio **Moses nō tan** hęc citat Paulus, ut intelligamus **Mosen non tantum** tum de legis- de Legis aut carnis iusticia locutum, sed de alia quoq; iusticia locu- id est, ea quæ est per fidem, ut obstrueretur os iusticia- tus- riorum, qui solum sua opera prædicant in corde, & Christum ore, qua nō potest esse maior blasphemia in Deum. Sunt itaq; diligenter uerba Pauli obseruanda, ne quā tibi uera sententia elabatur. Emphasis est, & tota uis huius loci in dictione, in corde. q. d. Nolo ut addubites de Dei in te misericordia, & beneficentia, ipse est qui iustificat & saluat: non respice in tuum Lib- Arb. aut tua opera, necesse est ut constantissimus sis in hac Petra, ne quā fiat, ut in arenam demissus, demergaris, & tempestatibus totus expugneris. Addit uero Paulus.

Sed quid dicit?

Scilicet, illa iusticia fidei. PROPE TE EST VERBUM. Scilicet Dei. IN ORE TVO.

Scilicet, per confessionem, & in corde per fidem q. d. Quid est quod uelis respicere in tua opera, quibus non satisfacis legi? huc intende oculos cordis tui in Verbum, ex quo solo est uita.

Hoc est uerbum fidei quod prædi-

COMMENT. POMER.

Scilicet nos : non potest ergo esse uerbum legis aut operum, sed fidei, de quo Hieremias dixit: In corde scribam eam &c.

Nempe si confessus fueris ore tuo.

Coram mundo, & Sathana. DOMINVM IESVM. Scilicet illum esse Dominũ totius mundi, item inferorũ, peccati, mortis: Iesum esse non negauerunt, at Christũ esse nõ crediderunt. Huc pertinet locus ex 17. Iohan: Ut cognoscãt quem misisti Iesum Christũ scilicet esse, id est, eũ qui unctus est rex & sacerdos.

Corde enim creditur ad iusticiam.

Id est, per hoc quod corde credis, iustificaris.

Ore autẽ confessio fit ad salutem.

Fides ore confitenda.

Ut salutem consequaris, necesse est ut tuam fidem coram toto mundo, & Sathana palam facias. Quidam hæc duo esse putant, ideoq; esse diuidenda, quod quã faciant inepte, uel puer iudicare potest: unũ est quod dicitur, non duo. Fidei tribuitur tota iustificatio, sed si eam negabo coram hominibus, non est uera: ut ergo si des uera sit, exigit Deus confessionem eius coram hominibus, ita enim & Christus dixit: Qui me negauerit coram hominibus, negabo & illum coram patre meo.

Dicit scriptura. Omnis qui fidei illi non pudefiet.

Id est,



Id est, siue sit Iudaeus, siue Graecus: si crediderit, quod  
 cunq; uoluerit, adsequetur. Pude sunt autem iustitiam  
 postulantes multa à Deo, uerum nihil accipiunt, Non  
 exaudiuntur qui osculantur manus suas.

Non enim est distinctio.

Id est, haec iusticia fides ex æquo ad omnes homines  
 pertinet, non tantum ad Iudaeos. Vide Cap. 3.

Nam idem Dominus omnium  
 diues in omnes.

Id est, abundans misericordia et liberalitate super  
 omnes. INVOCANTES SE. Id est, creden-  
 tes: nihil retulerit, siue sint coram hominibus sancti,  
 siue non, hinc addit.

Quisquis inuocauerit nomē Do-  
 mini saluus erit.

Hic nulla est exceptio, uel Iudaei, uel Graeci: qui-  
 cunq; in corde habet Dominum, ille quoq; in corde eū  
 inuocabit. Explicat autē id e larius gradatione pulchra  
 dicens.

Quō inuocabūt in quē nō credūt?

Quasi diceret, impossibile est, ut ad Deum con-  
 fugias tanquā patrem, nisi credas ipsam esse tuum pa-  
 trem. Ex hoc concludimus, omnes Monachos regni  
 Papistici, nunquā orasse, neq; inuocasse, siquidem nō  
 credebant in Deum, qui erat inuocandus: credebant

Papiste nō in-  
 uocant Deū.

ex suis operibus iusticiam se consecuturos, quemadmodum Iusticiarii Iudæi, quod quid aliud erat, quam abnegare Deum? Multo rectius senserunt Iudæi de Deo in Evangelio, qui dixerunt: Num homo potest remittere peccatū? Non audiunt nostri, quod dicitur Roma. 14. Quicquid non est ex fide, peccatum est: nam altoqui abiecissent Cappas & Blattas, comedissent quæ ferijs sextis carnes, aut saltem docuissent, in talibus non esse iusticiam. Cū interrogantur, num hæc Deus mandavit? obmutescunt, non audent confiteri suam stultam impietatem. Præterea, tamen si uideantur clamare in tribulatione, tamen non exaudiuntur, quia non fidunt Deo: quem admodum Esau constitutus in angustia, liberari uoluit, cum Iacob benedictionem præripuisset, at si quæ amiserat, ipsi restituta fuissent, nullā curā de Deo habuisset.

Quomodo autem credent ei, de quo non audierunt?

Noluerunt audire Iudæi, cum prædicaretur eis gratia Dei per Christum, quomodo igitur credent? Contra nouos, hoc est Prophetas, qui nolunt ministros Verbi audire, sed tantum suos spiritus è cœlis: utitur Deus in hoc ministerio, humana uoce, tamen eius manus in hoc non potest dici abbreviata: mandat ille, ut audiamus, dicunt isti: alia uia est incedendum, nihil est quod hunc uel illum audiam: sic Sathanas suorum animos demeritat, ut non uideant, quod Ihs medijs sit utendum,

nam persuadet eis: si usus fueris his, iam Verbi maiestas est per te contempta, alligasti enim te externis. O præclarum commentum, sic agit ille impostor, ut & res, quæ ex Deo nobis proponuntur, & ipsum Deum amittamus. Quare diligenter obseruandus est Sathanas, ne in hanc calamitatem & nos conijciat. Subiungit uero Apostolus plura, quibus auctoritatem faciat externo ministerio Verbi, dicens.

Quomodo autem prædicabunt, nisi missi fuerint.

Estq; contra eos dictum, qui non uocati accedunt ad Verbi ministerium: currunt non missi, hinc nihil boni efficiunt, agunt id uentris causa, non propter Dei gloriam. Nos interim audiamus Dei Verbum, si quando is uoluerit, ut Verbum prædicemus, inueniet nos etiã in pistrino. Summe cauendum est, ne ambiamus tanta munera nostri causa, quod si facimus, non docemus ex fide: si non ex fide docemus, quomodo ipsam fidem alios docebimus? non possumus Deo uentris curã committere, multo magis in re tam magna erimus impij. Sed dices: Charitas urget, ut prædicem, Respondeo: uide ne ficta sit, si uera est, non potest esse malum, quod eius impulsu facis, sed etiam atq; etiam uide, quod charitas non facit contra Dei ordinationem: quomodo prædicabunt, nisi mittantur? Et si tali occasione uenias in ecclesiam aliquam, quod tuum est facito, si te audierint,

Vocatio expectanda.

COMMENT. POMER.

potesq; si opus fuerit, uictum & amictum ab eis repe-  
tere, quod si nolint audire, neq; uictum neq; amictum  
acceperis ab eis, sed excutieris puluerem pedum, aliò  
ibis: itaq; tantum missi à Deo, uere prædicant.

Sicut scriptum est, Quam ama-  
biles pedes.

Scilicet sunt eorum, qui pacem, scilicet, conscientia-  
rum annuntiant. Vidit tam Esaias in spiritu Euangelij  
prædicatores, currentes per totum orbem, cum tamen  
eo tempore, tantum in iudæa aliquot ueri essent prædi-  
catores, gausus est ergo quod uiderit futurum, quod to-  
ti mundo esset patefacienda Dei gratia. Super montes,  
dicit, ut intelligas ipsam prænouisse, Euangelium præ-  
dicandum extra urbes, & in montibus & in desertis,  
id est, ubiq; etiam in Gentibus. Annuntiat autem pa-  
cem is tamiū, cui mandauit Dominus, ut amabiliter &  
cum silentio ueniat, non horrendo strepitu pedum le-  
gis. Ecce hic uide, quis audebit se dicere nuncium Do-  
mini, cui Verbum à Deo non sit datum & commissum?  
Ad idem pertinet quod addit: Annuntiantium bona,  
non damnationem ex legis sententia, sed consolationē  
Euangelij, quæ est optima.

Vocati tamiū  
pacem prædi-  
cant.

At non omnes obedierunt Euā-  
gelio.

Occupatio est: Sicut non omnes sunt reiecti, ita  
non omnes



non omnes crediderunt, quàmuis etiam per totam Iudeam tum erat Euangelium prædicatum: neq; hodie omnes credunt qui audiunt.

Esaias enim dicit, Domine quis credit auditui nostro?

Quasi diceret, quis est, uel quotus quisq; est, qui credit his uerbis, quæ ex nobis audiunt, nã ea gratia quam prædicamus, tota est obscurata formis crucis, non aliud hic cernitur, quàm quod maxime odiat natura. Habet autem illud Caput Prophetæ Christi passionem, ut uideas non aliud uelle Esaiam significare, quàm multos esse, qui nolint audire Euangelium, quia sit de Christo despecto & infanti in hoc mundo.

Causa, cur non credatur Euangelio.

Ergo fides ex auditu est.

Id est, ex prædicatione quæ auditur, est autem Hebraismus. Ex hoc loco clarum est, auditum & prædicatores, requiri ad Euangelium, contra nouos huius temporis Prophetas, qui aliud non possunt quàm contemnere, quæcunq; talia sunt.

Auditus autem.

Id est, ipsa prædicatio est per Verbum Dei, nihil enim debet prædicari, præter Verbum Dei. Vbi hic sunt Regule Monachorum, & Canones Papistici?

Sed dico, an non audierunt?

Est Occupatio: Nemo inquit dubitabit de Euangelij

prædicatione, siquidem in omnem terram exiuit sonus  
uel uox prædicantium Euangelii, & pacem ex Deo:  
uerum erunt multi, qui tamen Euangelio non credent.  
Vides & hodie, quod experientia docet, inuulgato Ver  
bo non haberi fidem, tamen testimonium habet, etiam  
ab inimicis, quòd sit Verbum Dei? quare nulla reliqua  
eis erit excusatio, damnabuntur, quotquot non credi  
derint.

Sed dico, nunquid non cogno  
uit Israel.

Est ubiq; auditum, quomodo ergo Israel potuit  
ignorare? Sed uideamus, quid de hac re scriptura lo  
quatur.

Primus Moses dicit.

Id est, Moses, qui primus est inter eos, qui spiritu do  
cente scripserunt, ille quoq; significauit Iudæos nõ cre  
dituros Verbo, ergo abijciendos esse.

Ego ad emulationem prouoca  
bo uos.

Sunt ex. 32. Capite Deuter. Irritabo, inquit, ani  
mos uestros, ut inuideatis Gentibus gratiam Dei uel  
ego efficiam, ut Gentes, quæ hodie despectæ sunt, san  
ctæ sint, & hoc ubi uiderint Iudæi, præ inuidia & cor  
dis amaritudine, ipsi gratiam quoq; contemnent, &  
Christum abijcient: id quod & hodie ea gens facit,  
quod

quod pulchre in parabola Lucæ expressum est de fili-  
 o prodigo: frater enim potius uoluit carere paternis  
 bonis, quàm istam gratiam uidere. Idem faciunt hodie iusti-  
 ciarum, qui quoque nobis inuident Dei gratiam, quàm ta-  
 men ipsi nolunt complecti, imò perseuerant in sua cæ-  
 citate. Stultam uocat gentem, quia idola uenerabat, &  
 Deum ignorabat, quæ est uera stultitia.

Esaias autem post hunc caudet.

Id est, post Moysen, & Esaias dixit de Iudeorum  
 abiectioe & cecitate.

Inuentus fui ijs qui me non querabant.

Verba sunt Dei in propheta. Est uero mira phrasis  
 qua significat absque merito & studio nostro nobis da-  
 tam gratiam, quia non quesitam inuenimus.

Conspicius factus sum ijs &c.

Id est, illis adparui, & me agnouerunt per fidem.

Qui de me non interrogabant.

Id est, tantum aberat, ut me quærent, ut ne fama  
 quidem illis cognitus essem: ergo hic locus uel solus  
 indicat nos saluatos, præter omnem meritum.

Aduersus Israel autem dicit.

Id est, contra eos, qui uidebantur esse Dei populus.

Toto die expandi.

Hunc locum multi de Christo cruci suffixum expo-  
 nunt, sed inepte: uox Dei est in Propheta, dicentis,

Gratie com=  
mendatio.

Ecce, ego tanq̄ pater filijs, porrexi populo meo ma-  
nus, ille uero auxilium meū, & mea beneficia nō agno-  
uit. Commendat uero in primis hic locus nobis gratiā  
Dei, expandit ad nos manus, sponte offert beneficia,  
ipse solus dat nobis, nos illi nihil dare possumus.

### Et contradicentem.

Nam quemadmodum hic populus corde non cre-  
dit, sic neq; potest confiteri Deum, nam par ratio est  
impietatis, quæ fidei: ubi fides est, ibi necesse confes-  
sionem quoq; oris esse: ubi impietas in corde, ibi nihil  
aliud quàm blasphemiæ nonnisi Dei. Sathan enim  
agit corda, ut non prædicent gratiam, quæ alijs suis  
uiribus nituntur, & impossibile est arborem malam,  
bonos ferre fructus.

## CAP. XI.

**O**CCUPATIO est, diceret quis, Deus elegit  
populum hunc Iudeorum, & repulit eum, et  
ego electio & Dei promissio irrita facta est. Respon-  
det Paulus, Non potest fieri ut sit irrita.

Nam & ego Israelita sum.

Non oēs Iudei sunt abiecti, nā & ego Iudeus sum,  
attamen nō abiectus. Magna hæc Pauli est fides de cle-  
ctiōe sua, tametsi unus ipse esset, audet cōstanter ad-  
firmare, nō oēs Iudeos reiectos. Sūt aut̄ hæc plena cō-  
solationis: duriora erāt, quæ dicebat in superiore cap.



## Ex semine.

Scilicet, etiam secundum carnem. TRIBVS  
BENIAMIN. Vt est in Philippen.

Non repulit Deus populum suum, quem ante agnouerat.

Id est, Deus non abiecit eum populum, quem iam olim elegerat, uerum illum abiecit, qui Dei populi non habebat, uidebaturque esse semen Abrahæ, tamen non erat. Mirabiliter enim splendebat in oculis hominum, iusticia, uita, et sanctitas huius populi, et coram Deo nihil erat aliud quam stercus: suam, non Dei querebat gloriam, ergo merito sunt abiecti. Ex hoc consequitur, non omnes item Christianos esse, qui Christiani uidentur aut uocantur, sed quos ille agnoscit esse Christianos. Non habet ecclesia Christi externam laruam, quam agnoscas eam, quam tamen Papiste miris dolis confinxerunt. Solus uero Deus nouit et qui sui sunt, multis. non haud dubie in die iudicij dicturus est, Non noui uos.

Nō oēs Christiani, qui uidentur esse.

## An nescitis de Elia.

Alterum est exemplum, quo confirmat non omnes Iudæos abiectos. Hunc locum, nisi teneas historiam, non intelliges: uidebantur sanctissimo uiro Elie declinasse ad impietatem omnes Iudæi, neminemque deo superesse, qui de Deo recte sentiret, dicebat enim, Domine, ecce omnes adorant Idola, abijciunt le-

gem tuā, ego uero solus relictus sum ex omnibus, & ex tanto numero, qui non declinarim ad Idola, & ad cultum Baal. Sed uide, quātam errarit hoc iudicio suo Propheta, nam dicitur ei, diuino responso, Ego Deus noui, non tu nosti, qui mei sunt, erras, te solum superesse putas, qui me ex corde suspicias, falleris, Habes adhuc septem millia uirorum electorum, qui me uere colunt in fide, hos tu ignoras. Quare non est ut cogites, te unico occiso, neminem reliquum fore, qui pius sit. Ecce, tam sanctus Propheta, ex septem millibus uirorum, non unum nouit, non igitur statim est iudicandum de ijs aut alijs: iudicium & sententia Deo relinquantur, qui uidet in ea tantum, quæ sunt in abscondito: sunt eius iudicia inscrutabilia, quos uult, seruat mirabiliter, ignorantibus etiam ipsis sanctis. Stulto itaque faciunt hodie, qui temere pronunciant de Euangelio, dicentes, neminem uideo, qui melior fiat, quare non possum persuaderi esse uerum Euangelium. Non uidebis o miser, quæ Dominus operetur in suis, putas ne tibi hoc mandatum à Deo, ut tantum numeres eius electos. Pudeat te tuæ stulticiæ & ignauiæ.

**Iudicium illo  
rū, qui dicūt,  
nullos melio-  
res reddi Eu-  
uangelio.**

**Sic igitur & in hoc tempore.**

Accommodat historiam: & hodie, inquit, eadem manet ratio electionis, non omnes abijciuntur, siquidem & Petrus duabus contionibus, ferè octo millia hominum Iudeorum ad CHRISTVM conuer-  
tit.

nit. Salui fiunt omnes quicumq; eliguntur à Deo, quod facit tantum per gratiam: si per gratiam, ubi sunt merita & opera nostra quæ iactamus? Ideo addit

**Quod si p̄ gratiã, nō iã ex opibus.**

Si reliquæ populi Dei saluantur tantum per gratiam, nihil est q̄ gloriemur de nostra iusticia & sanctitate: uerũ tam sumus iniqui & impij, ut maxime hanc argumentationem, etiam rationis humanæ iudicio admittamus, tamen tantũ honoris fidei habere nō possumus, ut palãm & cõstanter dicamus, ex sola Dei gratia est salus, non ex meritis nostris. Gratiam quidem multi prædicant, quod ad nomen attinet, tamen in corde gratiam non credunt, sed tantum sua opera meritoria, nihil uero conuenit gratiæ cum meritis nostris, ubi gratia est, iam meritum locum non potest habere. Aperta sunt hæc & luce clariora.

**Sin ex operibus &c.**

Utcunq; hoc argumentum uerteris, constabit: uix est clarior locus contra eos, qui nituntur iudicio rationis, & nihil admittendum censent, quàm quod ipsi possunt animo complecti. Conferant hic operis & gratiæ rationem, & deprehendent, nisi fuerint trunci & lapides, gratia constare salutem, non operibus.

**Quid igitur.**

Id est, quid plura dicam, hæc est summa totius rei.

**Quod quærit Iſrahel, hoc non  
eſt adſecutus.**

Quærit iuſticijs carnis ſalutem, at non inuenit, ne  
mo autē eam quærere poteſt, niſi ſpiritus ipſum præ-  
uenerit & ad quærendum impulerit: quod uero Mat-  
thæi ſe primo dicitur, Quærite & inuenietis: de Chri-  
ſtianiſ, id eſt, ijs qui ſpiritu Dei ducuntur, dicitur, illi  
inueniunt, alij iuſticiarij non inueniunt.

**Sed electio conſecuta eſt.**

Id eſt, illi, qui electi ſunt à Deo, ſaluantur, quod  
plene & eleganter dixit: ſic & hæreditas ſæpe pro  
ipſis hæredibus legitur.

**Reliqui uero excæcati ſunt.**

Id eſt, quotquot ſunt extra electionem, ij quantum  
uis uideantur eſſe iuſti, cæci ſunt, neq; poſſunt oculos  
in Dei iuſticiã, id eſt, gratiam intendere. Sũt autem ij  
oës extra electionē, quicunq; fidunt operibus, quales  
ſunt oës in regno Papæ uiuētes, qui ſunt inimici Dei,  
nam dicuntur carnali quadam ſapientia, qua eſt ſulti-  
cia coram Deo, qua & excæcantur. Hinc addit

**Quemadmodum ſcriptum eſt,**

**Spiritus blaſphemia.** dedit eis ſpiritum cõpunctionis.

Vel exacerbationis, aut amarulentum ſpiritum,  
quo compungantur, ſeq; ipſos mordeant, ira & inui-  
dia æſtuent, quem ſpiritum uidentur habere omnes iu-  
ſticia=



ficiarios: hic spiritus alius non est quàm blasphemiæ. Cum enim uident gloriam Dei per Euangelij prædicationem manifestari, statim tanquàm amentes profiliunt, uociferantes, Bona opera, bona opera, nō Euangelium me saluabit, quod quid aliud est, quàm pessime de Deo sentire, illiusq; gratiam pedibus conculcare. Id faciunt hodie, quos Clericos uocamus, aut sacerdotes, & uenerabiles Altaristas, non reuerentur nomen magni Dei, statuunt sua, & defendunt tantum conuitijs & consuetudine, non scripturis, siquidē eas nunq̄ atigerunt, cur aut attingerent, qui nō intelligāt titulum unius libri sacrorum Bibliorum. Habuerunt olim iudæi plus occasionis damnandi Euangelij, quàm illi nostri, illorum enim ceremoniæ ex Dei Verbo erāt institutæ, horum ex stultissimis & ineptissimis Monachis sunt profectæ. Sed uide textum.

### Oculos, ut non uideant.

Id est, excæcauit eos deus, posteaq̄ contempserūt, **Cæcitas contra**  
 Dei potentia factum est, ut excæcarentur, esq; cæci **tempti Ver-**  
 tas eis pœna contemptus Verbi: intellige autem ocu- **bi pœna.**  
 los cordis. Item aures, quæ quoq; sunt obturatæ, ut ne  
 queant audire quicquàm. Et addidit non abs re

### Vsq; ad hodiernum diem.

Quasi diceret, & hodie illud uidetis fieri, adhuc  
 perseverant in infidelitate cordis, obturati contra  
 Verbum Dei. Non longius petenda sunt exempla,

sunt in omnium oculis, scripsit enim Paulus hæc, quæ se omnium temporum, in quibus prædicaretur Euangelium, rationibus accommodarent.

Et Dauid dicit, Vertatur mensa illorum in laqueum.

Sed quæ mensa in laqueum uerti potest? Ita intellige, Scriptura Verbum Dei, nunc mensam aut panem, aliàs item, cibum, triticum, & aquam sapientiæ salutaris, uinumq; optimum uocat. Dicit ergo Dauid Scriptura, uel Verbum salutis, quod hætenus habuerunt Iudæi, uertetur eis in perditionem. Erāt ipsi Dei populus, soli q; habebāt Verbum, sed non aliter quemadmodum asinus portans mysteria: quid enim attinet mysteria ad asinum, nihil horum intelligit, tamen portans ea ostentat? Ita Iusticiarij insigniter quoq; gloriantur se habere scripturas, sed scire nolunt se eas ignorare; non ergo hic de mensa Philosophorum, sed Iudeorum dicit, nam ipsis solis erant commissa Dei oracula. Nō caret Emphasi q; dicit, illorum. q. d. illi ipsi, qui hætenus cibū habuerunt delicatum, nempe, Verbum Dei, hi iam ueneno uescantur: uel, ipsis panis nō in nutrimentum, sed perniciem mutabitur & interitum. Sic idem Verbum uidemus quosdam illuminare, alios autem excæcare, alio igitur doctore opus est, quàm homine, is enim tantum manet, hortatur, Deus uero aut illuminat, aut excæcat. Hinc in Esaia dicitur,

Verbo alij illuminantur  
alij excæcantur.

Excæcat

Excæca cor populi huius, scilicet, tua prædicatione, fac ut Verbum meum sit eis laqueus, captio, offendiculum, & retaliatio, id est, nihil mali non accipiant, & extrahant e Verbo, ubi alij ex hoc spem in Deum concipiunt, ibi isti nihil aliud quàm desperationem imbibant, quod quid aliud esse potest, quàm æternus cruciatus, horror & anxietas conscientie? sed hæc horrenda sunt, utinam uideremus: non abs re his uocabulis, & Propheta & David usus, quo magis nos terreremur, & uideremus, planè nihil esse in nobis, quo Deum nobis conciliemus. Laqueum dixit quidam simplicius, sed ubi addidit captionem, est multo horrendius: præterea, offendiculum eam mensam uocauit, quasi diceret, impingent in istam mensam, & cadent retrorsum, quod alicubi quoq; Esaias habet, ubi CHRISTVM lapidem offensionis uocat. Id semper accidit aduersarijs Verbi, qui coguntur legere Biblia, ubi quid audierint insuetum, & uident omnia consonare quæ legunt prædicationi, mirantur uehementer, sed quia statim inueniunt quosdam locos, impingunt & excæcantur: qualis locus est in primo ad Romanos, Non auditores, sed factores legis saluabuntur. In fine omnium illorum, retaliationem adposuit, significaturus cæcitatem esse præmium illorum scandalorum & poenam.

**Obtenebrentur.**

Id est, excæcentur oculi eorum.

## Et tergum illorū semper incurua.

Pax conscien-  
tiæ non est lu-  
sticiarijs.

Deprime eos oneribus conscientie peccatorum, ne sursum suspicere in cœlum possint, habeant oculos semper defixos in suam iusticiam, non in Dei gratiam. Ita profecto nunquam in libertatem, conscientie iusticiariorum, & gaudium perducī possunt, lassantur & fatigantur onere iusticiæ carnis, sed sine spe salutis aut consolationis.

## Dico igitur, Num ideo impergerunt, ut conciderent?

Iudæi, cur  
abiecti.

Id est, ut caderent omnes Israhelitæ secundum carnem. Est uero sententia huius loci, Deus sic recepit Gentes, abiectis Iudæis, non ut abiecti maneant, sed ut emulatione Gentium prouocentur, ut & ipsi gratiā ficiant & resipiscant. Vult itaq; occupare omnia Paulus quæ hic possent obijci, ut scilicet hoc Dei iudicium mitiget, ne desperemus de Dei bonitate, qui solus nouit, qua ratione quemuis saluari uelit: eius consilia sunt abyssus multa, non exposita hominum indagationi. Sed ut clarius cernas, quid hic locus uelit, assumito parabolam Lucæ, de filio prodigo & fratre eius. Hic peccator est, ille iusticiarius: hic relicto patre, omnia consumit & male perdit: ille rursus manet in agro paterno, & laboribus perpetuis distringitur, uideturq; omnibus patri esse utilis, & rem facere, ob idq; illi acceptū se fore magis sperat, & tan-

Parabola de  
filio prodigo

dem



dem consecuturum omnem hereditatem, nihil minus putauit futurum, quam rediturum alium fratrem in patris gratiam, tamen ubi eum rediisse intellexit, ac susceptum à patre, non uult ipse ingredi in domum paternam, etiam ipso rogante patre: abicitur ergo & excluditur, & qui uagus, & omnium decoctor fuerat, in locum eius subrogatur. Queri itaq; posset, num ideo ille prodigus susceptus est ut alter periret? minime, sed ideo abiectus est, ut prouocaretur per prodigum fratrem ad agnitionem liberalitatis et charitatis paternæ, & ne crederet se ex hoc heredem fore bonorum, quia diligenter in agro laborarat, quare etiam amice ipsum alloquitur pater, Fili, omnia mea tua sunt, q. d. Non ob id quia laborasti in agro, sed quia te diligo, & es mihi natus filius: quid fecit bonus alius frater tuus? certe nihil, tamen possidebit meabona, saltem ob id, quia diligo eum: discere ergo ex hac mea beneficentia erga fratrem tuum, me non respicere in opus aut laborem externum, sed quod facio, gratis facio, quia pater. Hac ratione uoluit Deus Iudeos iusticiarios, per assumptionem gentium, ad agnitionem suæ gratiæ prouocare, quo discerent, Deum non respicere opera legis dum nos saluat, sed solum omnia ipsum agere ex misericordia: sic debebant & nostri hodie pudescere, qui stupidi, tribuunt omnem iusticiam suis meritis, non diuinæ gratiæ, ergo cadunt quidam ex electis, non ut nunquam surgant, sed ut

**Electi** quidā discant, quomodo surgendū sit: non est ira hæc Dei si  
 cur cadunt. ne misericordia: ideo irascitur, ut tandem misereatur  
 nostri. Abiecti sunt in ira Iudæi, sed ut olim per misericordiam restituerentur, quod factum est multis,  
 qui cum aliquandiu uixissent in operibus legis, audientes Euangelium, dubitare cœperunt de illis, nam ne  
 uerbum quidem inuenerunt in scripturis, quod opponerent gratiæ in defensionem operum. Sic ergo præuenerunt in gratiæ cognitionem, quā antea ignorabant. Idem hodie in quibusdam est cernere, qui relicta  
 fiducia operum, se gratiæ Dei tātum committunt: itaq; mirabiliter Deus suas diuitias in nobis manifestat, facit ex stercore aurum: per istas immundicias uitam æternam nobis donat, ut negare non possimus, ipsum omnia nobiscum operari, secundum gratiam & bonitatem suam. Sed uideamus textum

**Sed per lapsum.**

Id est, q; ipsi Iudæi ceciderunt, Christumq; nō suscep-  
 erunt, quod propter duriciam cordis factū est.

**Salus contigit Gentibus.**

Christus, salus Iudeorum à patre ipsis missus, ut Paulus Acto. 13. dicit, Vobis missum erat Verbum salutis, non est susceptum: ne irrita esset promissio, translata est hæc salus ad Gentes, secundū hoc Esaiæ. Dedit in lucem Gentium.

**In hoc ut eos &c.**

Id est,

Id est, ut extimularentur illa Dei bonitate in Gen-  
tes Iudæi ad resipiscentiam.

### Quod si lapsus illorum.

Multa hic argumenta congerit propter nos Gen-  
tes, ne condemnemus Iudæos, ex quibus salus uenit,  
nam ex ijs natus est Christus. Impia hactenus aestima-  
tione factum est, ut Iudæos tanquam bestias habere-  
mus, non uidebant quo interim honore digni erant,  
propter promissiones ipsis factas & Christum, quare *Iudæi non*  
non est dicendum, Iudæus peior est cane, nam Chri- *spernendi-*  
sti est occisor. Lauda potius arcanum Dei opus, quod  
ille te scire noluit, Iudæi seruiuerunt, tanquam instru-  
menta Dei, nostræ redemptioni, tu quoq; iam & ipsis  
seruito, ut aliquando tua pietate & fide prouocati,  
resipiscant. Diuitiæ Iudæorum sunt, salus: nomine  
mundi Gentes intelliguntur, uel omnes.

### Et diminutio illorum.

Sic cum pauci Iudæorum salui facti sint, & illorū  
lapsus ( qui malus est ) nobis occasio fuit salutis.

### Quanto magis & plenitudo illorū

Id est, multo magis profutura est nobis ipsorum  
resipiscentia: uel, si tam efficax fuit malum, multo effi-  
catus erit bonum. Estq; hoc argumentum mire argu-  
tum, quo persuadeat nobis Iudæos redituros olim ad  
Messiam, quem nolebant recipere.

## Vobis enim gentibus dico.

Conuertit sermonē ad Gentes, ut familiarius ipsis loquatur: ne gloriamini, inquit, aduersus Iudæos, non uersemeni eos, nam possunt conuerti: habent præterea magnam gloriam secundū carnē quare etiam à nobis uenerandi sunt, tametsi ea gloria corā Deo nulla sit, & sola ea quæ est in spiritu: terreamur potius hoc exemplo, q̄ ij ex quibus Christus natus est, præuaricati sint, & exciderint: nihil nostræ securitati permittamus, nam idem nobis, qui uidemur optimi Christiani, quod Iudæis, accidere potest: hinc & emphasi non caret q̄ Gentibus dicit. q. d. Vos non estis secundum carnem ex Iudæis, tamen recepti in gratiam, uideate ne superbiatis: beneficij diuini est, q̄ & ego nobis Euangelium prædicem, inuulgemq̄, ut hoc Iudæi uidentes, inuideant id uobis, & ex hoc tandem ad restipiscendum moueantur, ad Christumq̄ redeant.

## Ministerium meum illustro.

Id est, cum magna gloria, scilicet nominis Christi prædico Euangelium. Hoc est meum ministerium, nō aliud mihi à Deo commissum, ideoq̄ meum.

## Si quo modo ad æmulationem prouocem carnem meam.

Pauli charitas erga Iudæos. Id est, Iudæos, quia ipse sum Iudæus natus. Vides Paulum integro & candido esse animo, etiam in aduersarios



uersarios nominis Christi, id quod magnum est, nam  
 natura nemo potest diligere inimicum.

**Et saluos reddam nonnullos.**

Quia non omnes saluatur, sed tantum reliquie,  
 id est, ij qui credunt prædicationi Euangelicæ.

**Nam si reiectio illorum.**

Isdem perpetuo ferè hic argumentis utitur. Deus  
 non uult esse sine populo, nam uno abiecto, statim  
 alium sibi assumit: nos Gentes, illis abiectis, Dei con=  
 secutæ sumus gratiã, & ipsi Deo recõciliatæ. **QVAE  
 ERIT ASSVMPTIO.** Scilicet Iudæorum.

**Nisi uita ex mortuis.**

Id est, post hanc reiectionem tanquam ex morte  
 resurgent, nam dum sunt in infidelitate, in morte sunt  
 neq; habentur populus Dei, quemadmodum pater de  
 filio prodigo dicit, Filius meus erat mortuus &c.

**Quod si primitiæ sanctæ.**

Adagium est, ex degustatione frusti carnis iudica=  
 mus totam carnem, degustata aliqua parte panis, de=  
 prendimus, num totus panis boni sit saporis: idem  
 de tota uini amphora dicendum est. Vocat uero pri=  
 mitias, id quod primum gustamus: massa est ipsum to=  
 tum: patres Iudæorum, sunt primitiæ, quos nemo  
 negat esse sanctos, & bonos: massa Iudæi posteri di=  
 cuntur. Est itaq; sententia Pauli, coram Deo Iudæis

Iudæi sancti  
 & boni

quasi congenita est sanctitas, nā sunt ex illis patribus qui sancti sunt, & placuerunt Deo per fidem, quam primum eos degustauit. Neq; tamē quisspiam hic tam stultus sit, ut putet Paulum dicere innasci sanctitatē, utitur enim isto figurato sermone tantū propter Gentes, ut intelligant, se nō etiam secundum carnem ex bonis patribus genitas q. d. Vos ō Gentes minus potestis gloriari quā Iudæi, siquidem ex impijs estis nati patribus: uos estis mala massa, quia ex primitijs malis genita: timete potius Deum, & non cōtemnite Iudæos, possunt & ipsi boni esse, si in fide suorum patrum, quos bonos habuerunt, perstiterint.

### Et si radix sancta.

Manet Paulus in sententia, tamen alijs atq; alijs utens similibus. Radix est Abraham & patres, rami sunt Iudæi credentes: uidete quæso, inquit, sanctos natura, secundum carnem esse Iudæos, uos uero impios quia non ex bona radice profecti.

### Quod si nōnulli rami defracti sunt

*Iudæi eiecli,  
Gētes ifert.e.*

Fieri potest, ut bona arbor habeat poma aliqua uerminosa & corrupta, intemperie aere, tamen nihilominus arbor bona est, & fert quedam poma optima: corrupta igitur abijciuntur, integra seruantur. Rami hic quidam mali sunt, id est, Iudæi quidam non credunt, hi defringuntur: inseruntur autem alij rami, tametsi natura nō sint boni, in radicem aut arborem naturā

natura bonam: quibus significamini uos gentes, estis enim rami syluestris arboris, id est, filij impietatis: nunc autem per Dei misericordiam abiecti ex bona arbore, id est, patribus sanctis Iudeorum, Iudeis incredulis uos inserti estis in locum eorum: Hinc addit.

**Tu uero cum esses oleaster.**

Id est, uos Gentes quæ non eratis uera olea. Nemo enim colebat hanc syluestrẽ oleam: Oleastrum, id est, Gentes, errabant seductæ carnis iudicio, Iudei uero patres et Moſen habuerunt.

**Inſitus fuiſti illis.**

Id est, in Iudeorum arborem bonam, uos Gentes estis inſite per fidem.

**Et conſors radicis & pinguedinis.**

Eam gratiam estis quoque conſecutæ, quæ Iudeis data & miſſa erat. Oleaſter nullam habet pinguedinem, uel ſuccum bonum, ad ferendos fructus ſuaues.

**Ne gloriæris aduerſus ramos.**

Id est, ideoque cum non ſitis naturales rami oleæ, ne gloriemini aduerſus Iudeos, qui iam ſunt rami defracti.

**Quod ſi gloriæris, non tu radicem portas.**

Stultiſſime feceritis o Gentes, ſi gloriemini aduerſus Iudeos: radix eſt Iudeorum, non Gentium: radix, uero aduerſus Iudeos, id eſt, patres fidei uos portat, inſitumini enim promiſſus Iudeos.

COMMENT. POMER.

tionibus ipsis factis. Vos non portatis radicem, id est  
 nō est perfecta salus ex Gentibus, neq; illis data sunt  
 promissiones, quare nolite superbire in Iudæos.

DICES IGITUR DEFRACTI SUNT  
 RAMI. Id est, abiecti Iudæi.

Utego inlererer.

Id est, nos Gentes reciperemur in gratiam. Recte  
 inquit Paulus. Sed uidete quæso cur abiecti sint Iudæi,  
 & terre amini: idem uobis euenire potest quod illis,  
 iam uos in eam arborem per fidem estis insertæ, quid  
 si relaberemini in priorem infidelitatem, nonne et uos  
 rursus abijceremini.

Nam si Deus naturalibus  
 ramis non pepercit.

Est amplificatio: si Deus Iudæos qui ex sanctis pa-  
 tribus erāt procreati, abiecit propter incredulitatē,  
 quid futurum est uobis, qui estis malæ arboris filij?

Ecce igitur bonitatem.

Hæc ex prædictis insert. q. d. In his omnibus ali-  
 ud non est cernere, quàm Dei bonitatem in credentes,  
 seueritatem in impios & contemptores sui Verbi:  
 non abiecit nisi malos, nō seruat nisi bonos. Vos Gen-  
 tes si manseritis in bonitate, fide, erit uobis bonus:  
 sin uero gloriari uolueritis de Iudæorū calamitate,  
 quid aliud expectabitis, quàm ut rursus excindamini?  
 Illi uero Iudæi si resipuerint, uobis abiectis, rursus  
 adsumen-



adsumentur. Tam bonus, tamque etiam seuerus est Deus, ut non patiatur eos perire, quod uidet in uiam redire, neque etiam seruat eos, qui cum boni fuerint, de generent. Vide igitur quàm mire se Paulus transformet? nunc Iudæos, nunc Gentes cōsolatur, ut discamus ad omnes pertinere Dei gratiam, Deum nō uelle abijcere ullum populum. Sed unde hæc habet Apostolus? ex charitatis æstu, hoc enim impellitur, ut simul consoletur & terreat, plus tamen in ijs omnibus inest consolationis, quàm terroris, si uideas.

**Nō enī uolo uos ignorare fratres**

Id est, uos Gentes, scitote non temere factū esse quod Iudæi sint abiecti, uos uero assumptæ. Est admirando Dei & arcano consilio factū, qui nouit quo modo unūquemuis trahat ad se, et alliciat, quare nolite esse insolētes: aut qui uideamini uobis esse meliores et satiores Iudæis, caute ne in hanc opinionē incidatis. Seruite Deo in timore potius, sic enim consistetis.

**Ex parte.**

Id est, aliquibus tantum Iudæis, nempe ijs, qui erant increduli.

**Donec plenitudo aduenierit.**

Id est, omnes Gentes quæ erant conuertendæ. Nouit autem solus Deus hanc plenitudinem.

**Et sic totus Israel saluus erit.**

Multi de Iudæis nouissimo tempore conuertendis

COMMENT. POMER.

intelligunt, ego uero, de toto Israele, id est, omnibus electis, siue Iudeis, siue gētibus intelligo: nam et Paulus in ea est sententia, ut uocet eos tantum Israel qui credunt Verbo Dei: Vide Cap. 5. & alios locos.

Sicut scriptum est, Adueniet.

Esaiæ hic locus, alijs uerbis in Hebræo scribitur, non est tamen alia sententia, quod ideo moneo, ut sciamus, nihil retulisse apud Apostolos reddere uerba, modo adsequerentur sententiam, usi enim sunt citationibus scripturæ ex libris tum uulgatis: habebant Romani Græca magis, quam Hebraica in manibus. Sic & nos hodie ueterem translationem citamus, in ijs maxime quæ ad fidei articulos pertinent, ne quid possint in nobis calūniari Papistæ, ADVENIET ERGO QUI liberet, id est, Messias uel Christus.

Et auertet impietates a Iacob.

Nam neq; Iacob, aut ullus patrum, neq; nos potuimus eas auertere: solius Christi id propriū est.

Ethocillis a me testamentū.

Scilicet erit. Aliud erit quā hactenus fuit sub Moysē, de eo Esa. 2. sic dixit: De Syon exiit lex. q. d. Lex in monte olim data nō ualebit, hæc quæ iā datur, est lex spiritus uitæ, testamētū pacis, remissio peccatorū.

Cum abstulero peccata.

Vires humanae.

Ipsi nō poterūt ea suis conatibus auferre, nec poterunt mecum inire fœdus, ideoq; hoc erit, uel in hoc

consistet meum testamentum, cū ipsi nihil fecerint ad remissionem peccatorum, ego uero solus abstulero peccata. Sed aduerte hæc uerba in Esaia nō inueniri, qui ergo non sunt adsueti sacris literis, non deprehēdent certo iudicio, quid quandoq; Apostoli, quid item Prophetæ dixerint. Paulus sententiam Prophetæ eandem expressit clarius, tametsi non uideas eadem uerba. Hieronymus hunc locum Prophetæ negligentius transtulit: sic igiur clarius & apertius textum digeres: Et ueniet Syoni redēptor, & ijs qui se auertent ab impietate in Iacob, dicit Dominus, & hoc testamentum meum ad illos: Spiritus meus qui est in te, & uerba mea, quæ dedi in os tuum? non recedent de ore tuo, & de ore seminis tui, ammodo et usq; in sempiternum &c. Cum ergo Paulus dixit: Cum abstulero peccata eorum, Esaia expressit cum dicit. Spiritus meus qui est in te &c. Nam quid aliud est dare spiritum sanctū, quā auferre peccata? Qui ergo hūc habet, & uerba Dei perpetuo in ore, huic remis-  
sa sunt omnia peccata, quia id Dei opus est libertas.

Spiritum sanctum dare, est auferre peccata.

### Secundum Euangelium quidē.

Id est, propter præsentem Euangelij prædicationem sunt inimici Dei, sunt enim excæcati, & inuidēt Gentibus Gratiam, redibunt tamen aliqui olim ad Dominum, incipient cognoscere gratiam, eruntq; amici Dei, quemadmodum uos Gentes nunc estis. Dei est

## COMMENT POMER.

consilium, qui uoluit, ut propter uos qui eratis alieni;  
ab ipso, abijcerentur, utq; inferemini in oliuam, qui  
eratis ex olcastro producti.

Secundum electionem autem.

Quæ est æterna, & cuius Deum poenitere nõ po-  
test, dicitq; de ijs tantum, qui olim conuertendi sunt

Dilecti sunt.

Scilicet Deo, propter patres, Id est, propter fidẽ  
quam olim scuturi sunt: implebuntur in eis promissio-  
nes olim patribus eorum factæ, nam non tantum ijs  
factæ sunt, sed etiam semini, ideoq; clarius exponit  
quod dixit: Electos non posse perire.

Nam dona quidem.

Deus nõ mu-  
tat sua consti-  
tia.  
Scilicet, quæ sunt in tempore, sed ab æterno præ-  
stituta: quod Deus donare uoluit, hoc nouit priusq;  
nascermur, neq; potest ille mutare consilium, im-  
mutabilis est enim: uidetur nobis quidem mutari in  
ijs quæ facit, tamen secus habet. Non ergo illum poe-  
nitet cuiusquã sui instituti aut consilij, uerum, stultum  
fuerit humana ratione id uelle perquirere.

Quemadmodum & uos.

Scilicet, Gentes quondam increduli fuistis Deo,  
eratis etiã pro tẽpore inimici Dei, nũc uero amici.

Nunc autem misericordiam estis  
consecuti per incredulitatẽ illorũ.

Id est.



Id est, occasione incredulitatis ipsorū Iudaeorū.  
 SIC ET ISTI. Scilicet Iudaei. NVNC  
 INCREDVLI FACTI SVNT. Scilicet in  
 uidentes praedicationi Euangelicae.

Ex eo quod uos miseri-  
 cordiam estis adepti.

Quia istā gratiā uidere nō possunt, nec suslinere  
 cōmertia Gentium, quas uidebant Idololatrias, unde &  
 magis inuidere illis cōperūt, quicquid cōtigit gratiae.

Ut & ipsi misericordiam conse-

Scilicet, ubi resipuerint, in hoc enim ceciderunt,  
 ut per fidem Gentium ad Deum prouocarentur. Ita  
 omnia Deus mirabiliter de nobis instituit, quos saluos  
 uult, hos sinit ad tempus esse blasphemos, & irriso-  
 res nominis sui: quemadmodum hodie in quibusdam  
 Iustitiarijs uidemus, qui nō solum contemnunt omnia,  
 uerum extremis blasphemijs in Deum aguntur, tamē  
 quidam eripiuntur.

Conclusit enim Deus.

Hæc est conclusio omnium, quæ uel de Dei gratia, *Gratiæ.*  
 & nostræ natura dici possint, qui hanc ignorant, nihil  
 omnino gratiæ cognoscere possunt. Omnes inquit, si  
 ue Iudæi, siue Gentes (nemo eximitur) conclusi su-  
 mus sub peccatum, inobedientiam, & incredulita-  
 tem, tametsi hæc unum sint, ne quis gloriectur se alte-  
 ro sanctiorem, & meliorē coram Deo, ut audeat suis

Gratia Dei  
immensa.

accedere uiribus, & eam quando uelit rapere gratiam. Facit ergo Deus, nos ad tempus repugnare gratiæ suæ, ut tandem confusi, plenius naturā gratiæ perspiciamus sitiamusq; uehementius: nam nisi hoc fieret, nunquā quæ uirtus eius, & quantus sit erga nos fauor illius deprehēderemus. Sui itaq; hæc omnia sunt consilij, non nostri, quamuis multa curiose, uel inquiramus, & interim ratiocinemur, nō est quod cū illo cōtendamus: melius omnia (licet stultissima quæ= doq; nobis adpareāt) instituit de nobis, quā unquā cogitare possimus: uult ergo ut ipsi accepta omnia feramus, non abijciamus quancunq; occasionem, qua nos ad se allicere conatur. Sciamus nos eos esse, qui inuenimus, non querentes ipsum, dumq; sumus blasphemii in nomen eius, tamen nobis nescientibus, nos ad eum properare. Quid igitur gloriabimur, quōd uel simus, aut fuerimus sine peccato? aut quōd statim audita Euangelij prædicatione obsecuti simus? grauisi me imegimus in illum ante. Nolunt & hodie multi, ut maxime audiant prædicare, gratiam suscipere, negant eam, & blasphemant: uerū iudicio Dei fit, quod eos agit, & in hoc impellit, quod quidem horrendū est auditu: & hic caro se continere non potest, quin contra Deum expuat, & horribiliter insaniat, cum non nouerit, quā bono animo, & pio consilio id faciat, nescit ideo esse blasphemus & contemptores Verbi quosdam, ut aliquando resipiscant, sentiantq;

tiant q̄; maiori adfectu, quantæ sunt diuitiæ bonitatis illius, qui hæc agit, sic & instituit, non ut perdat suos, sed saluet: ergo addidit Paulus.

### Vt omnium misereretur.

Ecce in ira uides misericordiam cõcludi: iræ est, q̄ in peccato cõclusit, gratiæ est q̄ misereatur, ergo qui conclusit, hic quoq; solus miseretur nostri, nõ sumus in uinculis, aut damnatione alicuius hominis iudicis, sed dei, quare nemo nos extraxerit, nisi ipse solus, Qui ingemiscunt, & clamant, uidentes hanc damnationem sui, illi exaudiuntur, & eripiuntur: qui uero non uident, quales sunt omnes Iustitiarij, ij in æterno carcere detinebuntur: pater uult agnosci, nõ tyrannus, si tantum in hoc intenderis animum. q̄ conclusus sis sub peccatũ, tyrannũ habiturus eras perpetuũ. Vbi autẽ hoc paternum cor quoq; agnoueris, ut omnium miseretur, patrẽ cernes, ultrõ se tibi offerentẽ. si sitis misericordiam, misericors est, si iratum concipis, iratus est, itaq; & Iudæi, & Gentes, hanc misericordiam inuocantes saluantur. Neq; uero etiã hic nos moretur prædestinationis quæstio, certa & rata hæc sit sententia: quicumq; inuocauerit nomen Domini, saluus erit, nõ terreant peccata: & Paulus blasphemus fuit, nunc tamen electum Dei organum habetur

Liberãtur qui se damnatos agnoscunt.

### O profunditatem.

Nolumus, ut quispiam plura de prædestinatione à

nobis expectet, q̄ Paulus dixit, breui enim sententiā,  
 omnia carnis mirabiliter excogitata problemata, sol  
 uit: si gratiam adsecutus es, fide, postq̄ peccatum tuū  
 agnouisti, Deus non te deseret: si uero hanc non es  
 adsecutus, nihil profuerit tibi q̄, multa de prædestina  
 tione disputes. Certe aliquid est gratiæ, anxium esse  
 te de prædestinatione, quia curæ tibi est salus, sed ea  
 tenus tamen, ut omnia committas Deo: si hoc potue  
 ris facere, nō anxium te reddet prædestinatio: at ubi  
 ab ea salutis tuæ rationem ordiri uolueris, in despera  
 tionem cades, nam negligis ea, quæ te primum Deus  
 scire uoluit. Ergo terret hac exclamatiōe superbos,  
 qui præsumunt ea scire quæ Dei sunt, metiriq̄; diuinā  
 humana ratione. q. d. Quid est, q̄, multa inquiritis,  
 nō potest horum reddi ratio, in Dei sunt manu & uo  
 luntate, pudeat uos stultos uestre curiositatis, quin  
 potius in uos primū respicite, qui ipsi sitis. Cōsolatur  
 etiam interim adflitos. q. d. ut maxime Dei arcana  
 ignoretis, tamen certi sitis Deum uos nō deserturū,  
 etiā si totū regnū Sathane uos opprimat: uidetis hic  
 abyssum ipsam, quā nondum penetrare potestis, sed  
 confidite tantum, ipse, quia pater familiās est, omnia  
 secundum misericordiam suam de uobis curabit.

Diuitiarum.

Prædestina  
 tionis usus.

Id est, abundantia. EST SAPIENTIAE.  
 Quia Deus solus sapiēs est, & cognoscit omnia.  
 præuidet, & præscit omnia priusq̄ fiant. Ad hanc saa  
 pientiā



pietiam nullus mortalium adsurgere potest, quare ipsi gloria relinquenda est, et nos pace contenti simus iuxta Angelorū carnē, quod cecinerūt Christo nato.

### Quam inscrutabilia.

Multa Deus fecit, quæ ratio nostra nō potest concipere, tamen ausi sunt stulti ea tentare, sed oppressi sunt à gloria, quemadmodū uidemus Philosophis accidisse: & quotus quisq; est nostrū, qui intelligat quæ sit substantia animæ, cum tamen ex ea pendeat omnis nostra uita animalis: circūferimus eam, cūq; ubiq; nobiscum, & ignoramus quid sit. Quam stultū igitur & ridiculum est, nos uelle diuina intelligere, cum hæc uulgaria non capiamus: si in ijs quæ sunt nature, pugnant sapientum mundi sententiæ, quāto magis pugnabunt in diuinarum rerum indagatione? Ergo consilia & iudicia sua, Deo relinquamus, non sumamus in ijs nobis quod supra captum nostrum est.

Non inuestiganda, quæ supra captū nostrum.

### Et inperuestigabiles uix eius.

Vix Dei dicuntur ea, quæcunq; Deus agit, quorum omnium nos nullam rationē reddere possumus, nam solus qui hæc agit, rationem nouit.

### Quis enim cognouit mentē Dñi.

Id est, quis sententiam eius, aut quid ipse uelit, tenet? Hæc in Esaia, & alibi scripta legimus.

### Aut quis illi fuit a consiliis?

Scilicet, ut faceret sic uel sic, quis ipsum edocuit?

Quando igitur fecerit omnia, antequā nasceremur,  
ut noluit, cur illius iudiciū & uoluntatē accusamus?

Aut quis prior dedit illi?

Et hoc contra nostram superbiam dictum est, qua  
fit, ut sēpe irascamur Deo, quando ille nostras iustiti  
as damnat. Cōmendatur uero gratia, cui soli acceptū  
ferre debemus, si saluamur, nam quaecunq; nostrarū  
sunt uirium, per ignem purgabuntur, immō absumen  
tur, ut id solum gloriam habeat, quod ex ipso est.

Quoniam ex illo &c.

Scilicet, sunt omnia, nihil est uspiam, quod non ex  
ipso prodierit, pertinetq; hoc ad creationem.

Et per illum.

Quia omnia cōseruat, prouidet et gubernat, nam  
quemadmodū omnia ex ipso tantū processerunt, sic  
quoq; nō possunt per aliū administrari prāter ipsum.

Et in illum.

Scilicet redeunt & restuunt. Quid igitur ipsum  
accusabimus, quod alios damnet, alios saluet?

Ipsi gloria in secula.

Ecce, nihil nostris uiribus tribuitur, nulla relinqui  
tur gloria, sed tantū confusio, quod etiam petimus in  
oratione: Sanctificetur nomen tuum, id est, nomen  
& gloria nostra pereat, & tu solus glorificeris.

## CAP. XII.

**H**ACTENVS Apostolus, quæ difficiliora, le-  
gem, scilicet, peccatum & gratiam, & ad  
quos pertineat gratia, tractauit: quæ sequentibus Ca-  
pitulis docet, facilia sunt, format enim in ijs tantum  
Christianam uitam, idem; Parenesibus quibusdam Diximus  
uero & antea, cur Paulus hoc ordine utatur, ne quis  
tamen anxius sit, iterum monebimus. Paulus sciens mul-  
tum referre, qua quæque ratione præscribantur, aut  
disputentur, noluit in principio, aut prima parte hu-  
ius Epistolæ ea, quæ sunt posteriora in Christiano, nem-  
pe opera tractare, siquidem ubi ab ijs ceptum fuerit, ne-  
cesse est nos in Iudaismum & iustitias carnis incidere.  
Voluit primum describere, quo pacto arbor ipsa bona  
esse debeat, nam mala, non potest ferre bonos fructus.  
Ideoque primum purificatos nos esse corde, id est in Chri-  
sto credere oportet, is enim est nostra uita et iustitia,  
tum faciemus bona opera. Quemadmodum nullum corpus  
quod mortuum est, operari potest, nisi quod pestiferum  
foetorem quandam emittat: sic nullus qui Christianus dici  
uult, bona faciat opera, nisi antea uiuat in corde. Ope-  
ra hæc sunt uiuentium, id est credentium in Christum, non  
mortuorum, id est eorum qui ignorant Christum iustitiam esse,  
et sciunt tantum suas uires omnia facturæ, quod aliud nihil  
est, quam teterrimus coram Deo foetor et abominatio. Ergo  
ubi Christianus factus fueris, id est, ubi tibi uita per

Forma incho-  
andi Christi-  
anismi.

**Opera bona.** Christum data fuerit, facies opera bona: alia quæ ad mortificationem tuâ: alia uero quæ ad proximum pertinebunt, nulla autem ad Deum, cui tantum fide & spe, non operibus externis seruitur: nam est spiritus Deus, ergo tantum in spiritu uult coli, non externis ceremonijs, Iohan. 4. Bona opera, quæ ad nostram personam pertinere dixi, ea omnia talia sint oportet, ut per ea eneces adfectus carnis tuæ, quæ semper resistit spiritui, ut in septimo Capite dictum est, idque tam diu facies, donec tota caro moriatur: nam ipsa uiuente, semper uigent in ea adfectus mali. Reliqua omnia ad proximum seruitutem pertinent, quibus uel ipsius egestate leues, aut ipsum consoleris adfluctum, aut ex errore reuoces, si uideas errantem, itaque sic orditur

**Obsecro uos per mileratiões Dei.**

Ecce & his uerbis gratiam & fidem meis inculcat, qui sunt Christiani. q. d. uos qui iam scitis & creditis Dei misericordia uos iustificatos, nihilque deesse uobis, quod ad salutem pertineat, moueamini queso, per illam misericordiam & beneficentiam Dei erga uos, ut omnia uestra opera ex fide instituatis: nam quicquid non est ex fide, peccatum est. Sed posset hic moueri questio, cur Paulus leges ijs prescribit, quibus lex non est posita, quique ab omni lege liberi sunt? Respondendum erit: leges has Christianis tantum scribi & proponi, id est, ijs qui credunt, & in quibus spiritus Dei sponte omnia facit, imò & secum adfert.



quod si absit hic spiritus, Christianus dici nequit, neque potuerit quicquam facere, hilari & spontaneo animo, quicquid faciet, id faciet tyranno et lege cogente. Vides uero diuersum hic in Paulo, non est legislator, non minatur mortem, aut lapidationes transgressoribus, ut & nostri faciunt, cum dicunt: Mandamus, Aggrauamus, Reaggrauamus, Anathemifamus &c. qui putant sibi potestatem tantum in destructionem datam, ideoque suauissime inquit: Obsecro uos fratres, quid potuit esse lenius & mansuetius? non est hæc uox Moysi, atque ita ne leges quidem istæ sunt, nam sponte fiunt tantum per monitorem, non per Euangelio exactorem. Sed oritur hic altera questio, quid opus leges admittæ est hæc Christiano præscribi, qui per se non indigens sciantur. legistore, omnia faciat. Respondeo, bona opera hic non præscribuntur, ut doceantur, nam norant ea omnia Christiani: præterea, non ob eam causam, quod debeant sic impelli & cogi Christiani, uerum cum uideamus nos esse carnem & sanguinem, quibus semper ad oscitantiam et pigritiam sollicitamur, opus est pijs hortationibus, quibus excitetur in nobis fides contra carnem, & eius inertiam, ut sic perpetuo exerceatur, ne unquam obdormiat, uacetque ijs operibus quæ testentur, & coram Deo & proximo fidem nostram esse integram & constantem. Itaque dicit Paulus, per eas miserationes, per quas redempti estis, uos obsecro, non autem est simplex obsecratio, sed talis

COMMENT. POMER.

quam Christiani negligere nequeant: estq; potius ad iuratio, q̄ obsecratio, quàm non uident leuioreſ spiritus, qui omnia & diuina & humana contemnunt.

Ut præbeat̄is corpora ueſtra.

In quibus adhuc eſt peccatum, id eſt, ueſtrum carnem & ſanguinem, uel, ut uno uerbo dicam, ueſtrū totum Adamum, non dico de pede aut manu, ſed de omni quod uos eſtis, illud inquam præbete.

Hostiam uiuentem.

Per appoſitionē hæc dicuntur, eſtq; ſentētia Apoſtoli. Si uero cultu Deum colere uolueritis, declinabit̄is oblationes Iudaicas, in quibus tantum erant irrationales pecudes, offeretis autē uosmetipſos totos, id eſt, rationem ueſtram, uires ueſtras, in hanc enim unicam hoſtiam reſpexerūt legis illæ uictimæ: quod ſi alium extra hunc cultum ſtatuer̄e uolueritis, Monachatum, ſcilicet, aut alia carnalia, erit quoq; irrationalis, id eſt, abſq; uerbo Dei. Siquidem cum iam per fidem in corde, toti ſitis conſecrati Deo, abſurdum fuerit in externa reſpicere, quibus nihil ſalutis cōparatur. Ergo, ueſtra corpora, quæ uos impediunt, ſollicitantq; ad peccatum, offerre Deo, curate ut moriantur, percantq; in uobis omnes adſectus, qui contra Deum pugnant, uiuum totum corpus non poteſt Deo offerri, quare mortificandum eſt per totam uitā, ut ſic per mortē ad uitam properemus. Atq; interim  
ratio

Victima Chriſtianorum.

ratio ordinis eorum, quæ hic tractat Paulus, semper tibi proposita sit, nam cum de hostia loquitur, de re quadam eximia, quæ ad solos Sacerdotes pertineat, loquitur. Sicut Christianos iam antea omnes, inunctos esse oleo spiritus letitiæ, consecratos soli Deo per fidem, ideo nunc iubet, ut quoque ea agant, quæ sunt inunctorum & consecratorum, nempe ut exhibeant oblationes eas, quas Deus offerri ipsis mandauit, quæ aliud non sunt, quam ipsa eorum corpora, quæ, quia omnes sumus Sacerdotes, sunt talia sacrificia, ut omnino ea grata à nobis accipiat Deus, propter unicum & sacrosanctum sacrificium Christi, qui semel oblatus est pro nobis omnibus in cruce: in huius mortem sumus baptizati, est illa nostra facta mors, uictima huius, nostra est, nisi enim ea uera fuisset uictima, id est, nisi illa placuisset patri, non posset hæc nostra uictima, id est, corporum nostrorum mortificatio grata esse patri. Vocat uero hanc hostiam uiuentem, ut scias aliam hanc esse, quam quæ olim in lege offerebatur: hostiæ illæ non erant uiuæ, nostra autem uiua est, id est, talis, quæ mortificando & moriendo uiuificetur. Dum enim offerimus & occidimus nostra corpora, interim semper magis uiuificantur, & abeunt in spiritum paulatim, se uiuunt adfectus carnis in spiritum, sed sensim tantum deficiunt, dum sic uerbo mortificantur. Ergo multa sunt digniora hæc sacrificia Noui Testamenti, sacrificijs Veteris. Præterea uult esse

Sacrificium  
Christi.

Sanctam hostiam

Id est, talem quæ non sit prophana, sed segregata, per uerbum, ab ijs quæ sunt mundi. Hoc conuenit cum Veteri Testamento, animantia enim omnia, quæ debent immolari, erant prophana, ubi uero ad sacerdotes fuissent adducta, sancta habebantur, scilicet, Deo. Sic item nostra sacrificia, non debent pertinere ad mundum sed solum Deum. Et addit

Acceptam.

Carni durum  
est se Deo re-  
signare.

Nisi hoc addidisset, nihil esset consolationis in ijs uerbis, nam uehementer terretur & dolet caro, ubi audit quod debeat se totum resignare Deo, & abnegare suas uires, utq; cogatur dicere: Fiat uoluntas tua: adueniat regnum tuum. Sed rursus consolatur nos, cum dicit: ista uestra hostia uiuens & sancta, placet Deo, uoluntas est paternæ, ut sic patiamini & mortificemini, in hoc estis eius filij. Talem igitur hostiam ubi feceritis uestra corpora, instituetis cultum Dei rationalem, id est, talem, in quo omnes uestræ uires illi offerantur secundum eius uoluntatem, quæ ex ipsius uerbo cognoscitur. Quomodo autem gratis quidquam offerretis?

Et ne accommodetis uos.

Exponit se Paulus, Ad hoc, inquit, mortificamur, ut uiuificemur, quod lex in suis sacrificijs non preestabat, offerri iubebat mortua, & manebant mortua: hic uero in nostro sacrificio, quia sumus sub gratia, non sub



non sub lege, offerimus nostra corpora & mortificamus ea, non ut mortua sint, sed ut uiuificentur. Ecce hic est mortificatio & uiuificatio simul: ibi sola erat mortificatio, quandoquidem nullæ hostiæ ad uitam redibant.

Ad figuram.

Que mundi sit figura notum est: Mundus querit honores, diuitias, uoluptates, & suam tranquillitatem, Mundus. ignorat uero que Dei sunt, habetq; ea pro nihilo, ut maxime multa de Deo loquatur: hæc igitur est ipsissima mundi figura concupiscentia. 1. Iohan. 2. ad hanc inquit, ne accomodetis uos, id est, ne faciatu uos similes mundo.

Sed transformemini.

Scilicet, à uetustate Adæ, uel à figura seculi, id est, noni homines fiat.

Per renouationem mentis.

Non per hypocrisin: non simulate aliam uitam faciunt, ut faciunt hypocritæ, qui Cappam aut Cilicium induunt, contegentes latronem intus latitantem, in quo putant se mundum deseruisse, ac se renouatos, cum aliud nihil sit, quam deceptio: ergo, inquit, mentibus reuouemini, non per simulationem externam. Vide, quomodo & hic nostras uires damnet Apostolus, omnia sunt abolenda, nihil sit tam speciosum, aut egregium, quod non iudicio Dei prosternatur. Verum interim aduerte, quam diligenter semper loquatur de sacrificio hoc corporum nostrorum, Hypocrisis.

*Sacrificium  
Christianorū  
non semel per  
ficur.*

id scilicet nondum esse perfectum, uerum adhuc fieri, quia sacrificamus adhuc, necdum sacrificamus plene, & quemadmodum Christus obtulit se patri in cruce, sic nos iam cruci suffixi sumus & sacrificamur, destinati sumus toti morti, attamen adhuc uiuūt corpora nostra, habentur pro mortuis coram Deo, tamen si nondū prorsus mortua sunt. Sed hæc uita eorum, quid aliud est quàm uita mortis? per eam enim in ipsam mortē transeunt, ut postea & ex illa morte, rursus in uitam aliam nouam constituamur, uide Paulum. 1. Corinth. 15. Itaq; sacrificium & holocaustoma Christianorum est, iam in altare positum, sed adhuc consummandum est, ut in Isaac historia uidemus. Hinc est quod toties dicat, Ne accommodetis. Transformemini &c. Perficiendū est sacrificiū, non somnanda ulla carnis libertas, quam hic uehementer damnari uidemus: sumus quidem filij Dei, ut dicamus, Pater noster, sed dicimus quoq; Remitte nobis debita nostra, quibus præcationibus conuincimur nos esse peccatores, si peccatores, quid aliud faciemus, quàm ut peccatū aboleamus per fidē, quod uere Christianum est sacrificium? Sed quod addit, miræ est suauitatis? His quorum corpora iam sacrificantur.

**Vt probetis quæ sit uoluntas Dei.**

Probetis inquam, id est, fide cognoscatis, quod hæc sit Dei bona uoluntas, uos sic offerri, quemadmodum Christus oblatu est. Gregorius & ceteri, multa scripserunt

scripserunt de moribus Christianorum, quibus miseris  
 uexarunt cōscientias, sed hæc alia sunt & multo digni  
 ora, quæ hic legis. Hos mores, non format humana pru-  
 dentia uel industria, sed ipse spiritus eos secum adfert:  
 ipsa ergo inquit experientia uos docebit num filij Dei  
 sitis, num secundum ipsius uoluntatem ambuletis: car-  
 nales nunquam sunt certi, num eorum opera aut uita ac-  
 cepta sit Deo & perfecta, id est, talis, quam Deus requi-  
 rat, nam non sciunt in conscientijs suis, quæ Dei sit uo-  
 luntas bona. Subijcit itaq; formulas quasdam carnis mor-  
 tificandæ: quædam eò pertinent, ut adfectus cordis, qui  
 bus ad quæq; turpia & iniqua propensus es, eneces: aliæ  
 quomodo proximum obserues. Non est uero hic multa  
 disputatio, quomodo primum Venerè tetunij, aut alijs  
 reprimas, sed quomodo sublimem illum adfectum tuum  
 perdas & destruas, ne scilicet infleris in animo tuo, sed  
 humilieris, & abijciar is coram teipso, & nisi hoc factū  
 fuerit, fieri nequit, ut uitijs crassis, in tuam carnem &  
 proximum, habenas imponas.

Formulæ mor-  
 tificandæ car-  
 nis.

Dico igitur uobis per gratiam.

Id est, per hoc Euangelium, quod mihi datum est, ut  
 prædicem CVILIBET.

Neminè excipio, hæc leges omnibus præscribuntur,  
 ut scias neminem esse, qui ijs uitijs non impinguetur, si  
 enim abessent, cur hæc moneret Paulus?

Ne quis arroganter de se sentiat.

COMMENT. POMER.

Ne scilicet quis se aliquid esse putet, & alteri se  
preferat, quod natura nobis innatum est.

Supra quam oportet de se sentire.

Donis quo-  
modo utendū

Licet quidē, ut aliquid de nobis sentiamus, sed mode-  
ste & sobrie, id quod antea dixit: Ne quis arroganter  
sentiat. Sciat igitur Christianus, sibi gratiam datam,  
aut donum aliquod, non ut in hoc gloriatur, & pre se  
contemnat fratrem, sed ut per illud fratri seruiat: qui  
donum habet Prophetiæ, is sciat & sentiat se habere,  
interpretetur Scripturas, ut alij quoq; inde suum pec-  
catum agnoscant & edificetur: uerum Sathane astus  
non sinu nos esse modestos & sobrios in usu donorū,  
nam id agit, ut gloriemur in ijs, putemusq; multo nos  
esse meliores alijs. Si quid habemus, Dei gratiæ acceptū  
referamus, omnia enim ex illo habemus, nihil ex nobis:  
fur est & latro, qui sibi id arrogat, quod non suum est,  
sed Dei, ergo ad mensurā de nobis sentiamus, quod do-  
nis nostris utamur, non in nostram, sed illius gloriam  
faciamus, agnoscamusq; per hæc nos non factos esse  
dominos, sed seruos aliorum. Siquidem in ijs (si modo  
Christiani essemus) esset cernere, quomodo quisq; alte-  
ri seruire debeat, secundum rationem sui doni, id quod  
docet ipsa fides: ergo adiceit

Ut cuiq; Deus partitus est men-  
suram fidei.

Hic enim munus, hic plus credit: his hæc, illis alia  
collata



collata sunt dona, & quisq; utitur pro mensura fidei, id est, ut queng; impellit & hortatur sua fides, ad seruiendum proximo per ea dona, ita seruit. Quidam hodie se doctores esse putant, uoluntq; oēs homines docere, cū nondū possunt esse discipuli, quod quidē non est sentire secundum mensuram fidei, sed contra fidem. Sed uide, quomodo id similitudine quoq; eleganti & satis manifesta nobis proponat.

Quemadmodum enim in uno corpore membra.

Oculus alijs membrū nobilius uidetur, attamē, quo nobilior est, hoc magis omnibus alijs mēbris seruit. Itē, manus prestat cæteris membris, sed non potest gloriari quod nobilius sit & dignius, imò uidet se esse seruū omnīū aliorū membrorū, par ratio est de omnibus mēbris, quæ omnia unū corpus simul cōstituunt. Sic inter Christianos fieri quoq; debet, inter hos nō sit dominus aut tyrannus, ut maxime alius nobilius habeat donū altero tamen nō pudet se esse in hoc dominū, sed seruū aliorū. Hec digna erāt, quæ in usum prouerbiorū traherētur.

Singulatim autem.

Id est, cum sinus diuersa membra unius corporis Christi, non sumus nostra membra, sed aliorū: ut oculus non suum est membrum, sed aliorū membrorū, & manus, totius corporis, non suum est membrum. Ita quoq; & nos seruiamus alijs, non abutamur donis,

COMMENT. POMER.

quæ nobis data sunt in proximi utilitatem, non ut nobis ea tantum sumamus, quod tam stultum est & ridiculum, quàm ut si manus dicat: manus sum, non propter alia membra, sed tantum propter me: Quæ, dic quæ so, hæc manus fuerit?

Sed tamen dona habentes.

Scilicet à Deo. IUXTA GRATIAM DATAM NOBIS VARIA. Non à nobis ea habemus, quo tollitur & meritum & studiū nostrum, iuxta illud in Corinth. Quid habes quod non accepisti? Si respexeris simpliciter in corpus, nullā inuenies membrorum differentiā, uerum obseruatis officijs membrorum, differre alia ab alijs uidebis, Ephes. 4. Alios dedit Apostolos, alius docet, alius præstet Reip. hic literis inietus est &c. Vnum corpus est, sed diuersa officia.

Contra merita nostra.

Siue prophetiam.

Si quis habet uirtutem interpretandi Scripturas, is habeat eam secundam fidei mensurā & proportionē, id est, utatur illa in fide, non arroganter, non doceat ea quæ nescit, aut de quibus dubitat. Hic nullum illorū donorum magnificat Paulus, quæ nostri Papistæ in cæliū ferebant, nempe, castitatem, edere semel in die, in cilicio dormire &c. Dona quæ hic numerantur, sunt dona spiritus, quibus proximo seruitur, tametsi uideantur hypocritis esse minima & cōtemnenda, habent enim sua, in quæ respiciūt, nitentia multa & egregia hypocrisis.

Prophetia.

Primas itaq; dat Apostolus prophetiæ, quod eius usus  
 in primis sit nobis necessarius, is enim pauperrimus est  
 ( ut maxime opes possideat ) qui Verbo Dei caret, &  
 non intelligit, quæ sit uoluntas Dei bona: aperit autem  
 nobis Prophetia, Verbi & uoluntatis diuinæ arcana,  
 nam uel Scripturas interpretatur, aut in sanctis futura  
 prædicit, ad cauendum scandala & Sathanæ astus: in  
 ijs, cū fides omnia penetret & adsequatur, fieri nequit,  
 ut quid inuenias, quod rationi fidei non sit consentane-  
 um, tamen si audis quosdam, qui interpretentur Scrip-  
 turas, & prædicant futura, contra fidei amussim, scias  
 id nõ ex Dei, sed Sathanæ spiritu proficisci, quales ha-  
 ctenus audiuimus in uniuersitatibus Papæ, qui omnes  
 Scripturas, ad Aristotelis somnia, exhibebāt, & hodie  
 audiuimus alios, qui subtilius, & alia impostura pro-  
 phetant. Noli igitur credere prophetiæ, quæ fidei con-  
 similis non est: qui prophetat, in primis certus sit, se ue-  
 ritatem tenere, qui incertus est, aut qui non credit uera  
 esse quæ dicit, is mendax est, & fallit alios. Tales Pro-  
 phetæ fuerunt Ananias & Sedechias. Videant ergo no-  
 stri hodie, qui uolunt Scripturas interpretari, quomodo  
 certi sint in sua conscientia de interpretationibus. Illi si  
 in locum aliquem obscurum incidant, non uident, num  
 eorum expositio fidei conueniat, sed hoc saltem, ut no-  
 ui aliquid & arguti, quod tum spirituale dicūt, dicant:  
 quæ res facit, ut tandem uniuersa ferè Scriptura in dubi-  
 um uocetur, nã uno loco perperã & cõtra simplicitatẽ

COMMENT. POMER.

fidei exposito, necesse est, ut pugnantes multos locos deprehendas. Quare qui fidei regula exposuerit, difficiles locos, non errabit, neq; alios quoq; in errorē pertrahet. Idem est Dei spiritus, eadem sententia per totā Scripturam, nō potest esse sui dissimilis, sed de ijs satis.

**Siue ministeriū in administrando.**

Id est, si quis minister est aliorum, pauperum aut infirmorum, diligenter illis administret, quales sunt Diaconi qui in ecclesijs haberi debent: sicut oculus non negligit suum officium, pes non quiescit perpetuo, ita nemo in ecclesia, segnius ea quæ sui sunt muneris curet. Curabit autem quisq; sua, si timor Domini (qui est ipsa fides) defuerit.

**Siue qui docet in doctrina.**

Si cui datum est, ut docere possit, doceat, agat id in fide, & cui exhortatio credita est, is quoq; exhortetur per fidem. Petrus: qui loquitur quasi sermones Deo. Doctrina prior est, quia ignorantes docemus: exhortatio posterior, nam scientes exhortamur. Multi hodie sunt, qui uix doctrina nostra egeant, tamen omnes exhortatiōe opus habēt, cū simus adhuc caro & sanguis, & quos Sathanas semper suis insidijs obseruet.

**Qui impertit, in simplicitate,**

Si quis donum à Deo habet, ut alijs largiri possit. is simplicissimo corde largiatur, non spectet hominum plausum aut gloriā, non sciat eius sinistra quid dextra fecerit



fecerit, Dei gloriam tantum spectet, nō sua merita: sciat se gratis accepisse à Deo, gratis igitur det, & semper omni egenti.

### Qui præest, in diligentia.

Si cui commissa est Respub. diligenter præsit, quod Principū & cōtra principes nostros dictum est, uem Episcopos, qui Episcoporum non uocationem suam uident, sed tantum uentris sui cura officia. ram, & mundi delicias.

### Qui miseretur, in hilaritate,

Si quis egentibus subuenire uelit, faciat id hilari spiritu, non tristi, aut impedito, nam hilarem datorem diligit Deus. 2 Corinth. 8.

### Dilectio sit non simulata.

Vt diligas, scilicet, proximū ex corde sicut te ipsum neq; solum amicum, sed & inimicum, & si opus sit, etiam cum periculo uitæ tuæ ipsi seruias.

Sitis odio persequentes, quod malum est.

Id est, absq; omnibus insidijs, dolo, hypocrisi & scandalo agite. Hæc præscribuntur Christianis tantum qui non sunt Christiani, ne umbram quidem horum norunt.

Adhærentes ei quod bonum est.

Id est, quod integrum, candidum & sanctū est, complectimini ex corde.

Per fraternam charitatē ad mu-  
tuo uos diligendos propensi.

Charitas.

Id est, ad hoc animi uestri sunt inclinati, quod uos fratres esse testetur. Utinam sic adfecti essemus hodie, sciremus enim omnes homines esse fratres nostros, nulla esset dissensio, nemo se altero meliorem putaret, nullas sectas excutarent somnia humana. Impie ergo docuerunt, qui dixerunt, ordinata charitas incipit à se: uerum est, charitatem ueram, ordinatam esse oportere à Deo, sed non consistam nostra opinione carnis, sed ea non à se incipit, uerum in proximum pergit: Christianus homo omnia sua resignat alijs, tantum abest, ut à se incipiat: fides aliud nō potest docere, quàm ut teipsum odio habeas, & Christus non à se incepit. Itaq; impium est, ut præcipiatur quomodo nos amemus, siquidē plus satis huius ueneni habemus à natura. Vide ergo quomodo uocabulum charitatis in scriptura intelligas, non est alius affectus, quàm quo rapimur ad seruiendum proximo, non ad gloriam, aut famam nobis conciliandam.

Honore alius alium præcedentes.

Non sic simus adfecti, ut eum tantum honoremus, qui nos honorat, ut maxime maius donū habeamus, tamen alteri, qui minus habere uidetur, honor primū habeatur à nobis: hoc est Charitatis, quæ non uult, ut pro loco, aut honore cōtendamus. Qui ex his uerbis nō se, sed alios putant admonitos, Christianū sentientes esse,  
ut ipsi

ut ipsi neminem honorent, se uero honorandos putant  
 a fini sunt, ferula digni, quemadmodum & illi, qui ex ad-  
 monitione ut demus, censent sibi debere dari, non se de-  
 bere dare, homines. s. egregie Christiani.

Studio non pigri.

id est, alij pro alijs solliciti sitis, tanquam quodlibet  
 membrum pro toto corpore sollicitum est.

Spiritu feruentes.

Non sitis securi secundum carnē: egregia est ironia.  
 1 Corinth. 5. cōtra eos qui iam se omnia tenere pu-  
 tant: iam saturi estis &c. Vult ergo nos strenue perge-  
 re in ijs quæ cœpimus Christiani.

Tempori seruietes.

Nam non simul, & ubiq; & apud omnes omnia,  
 sunt facienda, quemadmodum oculi non semper faciūt  
 suum officium, nonnunquam dormiunt, & stomachus  
 non semper aestuat in alimentum, sic Christianus sciet  
 se attemperare omnibus horis, nūc enim consolabitur,  
 iam arguet proximum &c.

Spe gaudentes.

Scilicet, in aduersis Christianorū est, ut in summis  
 perturbationibus, meliora sperent, non diffidant, aut  
 succumbant. IN AFLICTIONE PATI-  
 ENTES. Id est, perdurantes, ne excidatis a fide.

Precationi instantes.

Oratio non  
languet.

Id est, non solum orate, uerū etiam instate, sit enim sepe ut non statim det Deus quod petitur: itaq; nō cessandum, sed semper pulsandum ostium, donec aperiat: nunquam autem desinit orare fides, nullam habet horam aut diem in hoc præscriptam, siquidem semper uidet ab aduersario intentari malum.

### Necessitatibus sanctorū cōmuni.

Agentibus,  
non otiosis  
dandum.

Id est, uestra impertientes: si quos uidetis Christianos agere, illis quæcunq; potestis communicate. Dicit uero hæc de sanctis, & Christianis, non de uagis & hominibus nihili, qui tantum ex aliorum laboribus uiuere uolunt, ut ipsi non laborēt, quales sunt multi hodie, quibus cū negatur à Christianis, charitatis, ut dicunt, subsidium, statim obijciunt, est hoc esse Christianos, nihil dare? quibus rursus opponatur: est hoc Christianos esse non laborare? &: Qui non labore, non manducet. Vide pri. Timoth. 5. & 2 Thessalo. 2. tales esse excommunicandos.

### Hospitalitatem sectantes.

Id est, sitis parati ad suscipiendum eos in hospitium quicumq; ueniunt ad uos Christiani. Olim enim cursitabant Apostoli, & alij Prædicatores de ciuitate in ciuitatem prædicantes, tales suscipiebantur à pijs & sanctis hospitiis.

Bene loquamini de ijs, qui uos &c.

Hoc est Christianorum, ut inquit Petrus, non solum de amicis



de amicis, uerum & inimicis bene loqui, nam si tantum de amicis bene loquamini, non pertinebit ad uos benedictio hereditatis, pri. Petri. 3.

### Gaudete cum gaudentibus.

Cum ijs quibus leta contingunt. Hæc ex similitudine membrorum corporis, ut habet Paulus in Corinth. intelliguntur, si unum membrum gaudet, uel dolet, tum cætera omnia sic adficiuntur: ita commoda & incommoda fratrum ad nos quoq; pertinere credamus: si igitur quisq; personam alterius indueret, non esset opus toties, ac tanta de charitate præcipere.

### Flete cum flentibus.

Id est, quibus aduersa acciderunt.

### Eodem animo alij in alios adfecti.

Id est, inuicem sitis concordēs, etiamsi frater quispiam uos ledat: non commoueamini, tamen si tu maior uel doctior sis, noli cum altero contendere, & ipsum aspernari.

### Nō arroganter de uobis sentiētes.

Exponit quod iam dixit, non inflemini donis, unde fastidium fratrum nascitur. Hæc uides subinde repeti, ut diligentius inculcetur: loquitur uero hic tantū de ijs qui dona acceperunt, nō de ijs qui simulant: qui acceperūt dona, primum utantur illis: secundo, non abutantur.

### Humilibus uos accommodantes.

Id est, humilibus, & inferioribus uobis, uos attemperate, agnoscite eos fratres, quamuis non uideatis eos tantis donis insignitos, quantis uos, habetis enim unum patrem, & expectatis eandem hereditatem.

**Ne sitis arrogantes apud uosmet.**

**Arrogantia.** Tertio hoc iam inculcat Paulus, nisi fecerit quis ea, de quibus praedixit in hoc Cap. non potest, non arroganter de se sentire: uult hanc radicem Apostolus prorsus euelli, ex hac enim omnia mala nascuntur, huius malitia fit, ut alijs, si quae in eis uidemus, sua dona inuideamus, & nobis arrogemus supra dona nobis data, cum tamen ista amarulentia consequi nequeamus regnum Dei. Gaudendum est mihi, si uideam in alio dona, quae ego non habeo, nam scio ipsum ea habere, & in mea utilitate.

**Neque cuiquam malum &c.**

Ex naturae adfectu, nihil possumus ferre in fratribus, quod ex diametro cum charitate pugnat: fieri non potest, ut in quotidiano conuictu non fiamus discordes, igitur reconciliemur, non malum pro malo reddamus, quod Ethnici faciunt. **PROVIDE PARANTES.** Id est, facientes.

**In conspectu omnium hominum.**

Ne male audiat Euangelium, ne dicant: sunt isti Euangelici? Tot a uestra uita in oculis etiam hominum talis sit, quam etiam aduersarij non possunt calumniari, ut ora eorum obstruantur, qui male uobis loquuntur.

**Si fieri**

**Si fieri potest, quantū in uobis est.**

*Id est, etiam cum infidelibus, & inimicis quantum licebit, habete pacem. NON VOSMET IPSOS VLCISCENTES. Reconciliemini, non alite odia in corde uestro.*

**Quin potius date locum iræ.**

*Sinite, ut omnino obliuiscamini iræ: sic alibi dicit, Sol non occidat super iracundiā uestram, id est, q̄ pri mum reconciliemini fratri, si offēsi fueritis.*

**Mihi ultio, ego rependam.**

*Ad me solum, dicit Dominus in Mose, pertinet uindicta: si qui faciunt iniurias, ego rependam, non uos. Vbi igitur quispiā ultionē sibi uindicarit, sciat se hoc sibi sumpsisse quod Dei est, huic nihil prospere successurū est: cōmittenda oīa sunt Deo, quē nihil latet.*

**Si igitur esurit inimicus tuus.**

*Nos omnibus debemus benefacere, tantum abest, ut uindicemus, non solum uerbo dilige, sed & re ipsa quæ sententia ex Prouerbijis desumpta est.*

**Hoc enim si feceris, carbones ignis**

*Hebraismus est, id est, efficies, ut ipse sibi irascatur, agnoscens tuam bonitatem, & suā maliciam, se ipsum arguet dicens, ah quid feci: cur eū persecutus sum qui mihi bene uult? Sic fit, ut multiplici dilectione, quam ille cogetur sentire, eū cruciabis aut ures: hoc est no*

bilissimū uictoriæ genus, beneficijs uincere, de qua re quidē multa prodiderunt Philosophi, at nihil præstare potuerunt, scribere potuerunt, persuadere minime.

Ne uincaris a malo.

Id est, ab iniuria, uel persecutore: uel, ne sis impotentis animo, sed forti & constanti.

Imo uince bono malo.

Id est, iniuriā benefactis repende. Hactenus itaq; de moribus Christianis dixit multa Paulus, quæ ad nos et proximum pertinent, nūc alias paræneses proponit.

## CAP. XIII.

Obediendum  
Magistratui.

**C**arnales, audita Euāgelij prædicatione, statim abutuntur Christiana libertate, nolentes cuiq; obedire: dicunt enim, Christianus est dominus omnium, ergo nō ero cuiquam subditus: quasi uero Christianus sit, qui ita sentit, id quod nostro tempore uidemus frequens esse, ideo Paulus nos admonet, ut dominis huius temporis subditi simus, non tantum propter publicam pacem, sed etiam propter conscientiam.

Omnis anima potestatibus.

Magistratus  
auctoritas nō  
labefactatur  
Euangelio.

Hebraismus est, de Christianis hæc dicit, quia ad Apostolos non pertinent ij qui foris sunt, ut in Corin. dicit. Nostri principes deberent multum gaudere, etiā secundum carnem de tali prædicatione: at quia excæcati



rati sunt, aliud non possunt, quàm blasphemare, & impudentissime mentiri, dicentes, nos tantum prædicare, ne obediat, sed breui mercedem suam accepturi sunt, nisi meliorem gloriam dent Verbo Dei, iam reuelato. Nos pro illis docemus, Papiſtæ se dominos eorum faciebant, tamen propensiores semper in illos quàm in nos adhuc hodie sunt. At hæc sunt Dei iudicia.

**Non enim est potestas, nisi a Deo.**

Est hoc labefactare, aut infringere, auctoritatem Magistratum, & potestatum mundi? Vix potest in tota Scriptura tam insigne Principum mundi Encœmium inueniri, quàm habet, uel hic unicus locus, neque tam stultus quisquam est, ut intelligat, hic Paulum de alia, quàm mundi potestate loqui, à Deo ordinata, hoc est, de illa, quæ portat gladium in defensionem bonorum, cui propter, damus honorem, tributum &c. An hæc obscura sunt? non loquitur de potestate Sathanæ, aut inferorum.

**Quæ uero sunt potestates?**

Ecce de ijs potestatibus loquitur, quæ à Deo sunt institutæ & ordinatæ.

Itaque quisquis resistit potestati, Dei ordinationi resistit.

Quia Deus eam ordinauit. **IVDICIVM.** Condemnationem, sententiã mortis. Aliàs multa de pote-

*Gladij potestas.* state gladij scripta sunt, nō sunt aliæ potestates quā  
 Principes, Iudices, Magistratus, hi soli gladium ge-  
 gerunt. Papistæ qui quoq; sibi potestatem somniant, non  
 gerunt gladium, sed plattas & infulas, de quibus hic  
 nihil dicitur, neque Paulus de alijs loqui hic potest,  
 quā de ijs qui suo tempore gladium habebant, in  
 hoc, ut publicam pacem conseruarent. Est præterea  
 & hæc potestas gladij, in Decalogo confirmata, in  
 quo non solum præcipitur, ut honores parētes ( nam  
 id statim calumniarentur aduersarij, & quique au-  
 dientes, hic intelligi etiam potestates ) uerum, adie-  
 cta sunt & illa, Non occides, Non furaberis, Non  
 mœchaberis: ex quibus consequitur, iudices esse oportere,  
 quemadmodum in legibus Mosi clarius uides.  
 Occidebatur enim qui alium occiderat, mœchus item  
 dabat pœnas, sed sub iudicibus. Si igitur non uolu-  
 mus esse fures, mœchos, homicidas, necesse est esse  
*Potestas ec-  
 clesiastica, ut  
 uocant.* Magistratus quos timeant mali. Qui itaq; se spiritua-  
 les uocant, nihil ex hoc loco habent, quo suam fictam  
 potestatem defendant, nam non habent eam ordina-  
 tam à Deo, sed aiunt, habemus potestatem ligand  
 & soluendi, Recte, sed hæc non est potestas, uerum  
 ministerium prædicandi Euangelij, quo annunciat  
 peccatorum remissio, quodq; ad Christianos, non ad  
 malos pertinet. Proinde, si quis dicat non esse malis  
*Obediendū  
 etiam malis.* Principibus obediendum, is longe fallitur, ut maxime  
 regna ui inuascent, & tyrannide occuparint, Dei  
 uoluntate

uoluntate factum est, nihil ad nos, modo nihil contra Deum præcipiant. Certum est, omnes ferè Principes nostros, à principio primum occupationis terrarum (quemadmodum hodie Turca multa occupat) fraude, tyrannide, ambitione, cupiditate dominandi sua regna occupasse, tamen non sunt abiiciendi, sed eis obediendum, quia ordinati sunt à Deo, in hoc, ut nobis præfint & profint, nam utcumq; primi occupatores non recte senserint, tamen Deus recte sensit, qui tales uoluit esse contra legum transgressores: hinc & Dii sunt in mundo, secundum Scripturam, in loco Dei, quod ad officium eorum attinet.

**Nam principes non terrori sunt.**

Sed quia hodie abutuntur sua potestate, omnia inuertunt, sunt enim terrori bene agentibus, & ijs maxime qui pietatem Euangelij sectantur, impune agunt, quiduis sub ipsis impij, cogunt expilationibus, terroribus, & tormentis, ut abnegent boni Christum, & eius Euangelium. Rursus Papæ scelera, quæ mundus uix potest ferre, defendunt. Itaque quicumq; sub ijs hodie securus uiuere uolet, omnia faciat scelera & mala, quemadmodum ille dixit, Aude aliquid breuius gyaris & carcere dignum, Si uis esse aliquid, probitas laudatur & alget.

**Vis aut non timere potestatem?**

Scilicet, quæ portat gladium.

## Quod bonum est facito.

Non loquitur de bono coram Deo, sed civili bonitate, quam mundus iudicat, & iudex uel Princeps commendat & laudat.

## Dei enim minister est in bonum.

Id est, is qui gerit gladium, à Deo ordinatus est, ut faciat in suo magistratu quod Deus uult. Si benefeceris, dicet te bonum ciuem: sin minus, occidet.

TIME. Scilicet gladij potestatem. FRVSTRA.

Id est, uindicabit gladio.

## Vltor ad iram.

Christiana libertas que.

Scilicet contra te. Totus hic locus contra eos est, qui Christiana libertate abutuntur, uultq; Apostolus, ut omnes simus subditi potestatibus, & fratribus seruiamus, non enim Christiana libertas, est libertas carnis: sed conscientie, que est per Christum, in hoc, ut nihil peccatorum uideamus, quod nos possit damnare, si ad alia traxeris hanc libertatem, nō es Christianus, non ideo te liberauit Christus, ut perturbes publicam pacem, sed omnium seruus sis. Hinc ait

## Quapropter nō solū propter irā.

Id est, poenam legis ciuilibus, aut propter iram principis, ne te feriat gladio.

## Verum etiā propter cōscientiam.

Quia Dei minister, quem si contempseris, Deum



cōtempfisti, est enim à Deo hæc potestas ordinata, ut huius temporis pax possit conseruari: qui ergo Christianus est, sic subditus potestati propter fidem, id est, quia scit hanc potestatem à Deo institutam: q. si noluerit, contra fidem facit, & Dei institutū, tum neq. erit Christianus. Iubet & charitas, si res postulet, ut defendas & pugnes pro tuis principibus, sumas arma, quoties præcipitur per potestatem.

Cur' obediendum sit.

pppter hoc. n. & uectigalia soluitis.

Id est, quia subditi esis, quod non est contra Deum, datis illis tributum.

Siquidem ministri Dei sunt in hoc incumbentes.

Scilicet, ut bonos defendant, pacemq. conseruent. Quare non sunt Christiani principes qui hodie omnia peruertunt, ipsorum erat malos punire, bonos honorare, unde et haberent tributum, tamen propter hoc subditi non debent auertere ab eis obedientiam, Deus uoluit eos esse nostros dominos, si malefacimus contra ciues & pacem publicam, ipsi autem habent iudicem in cœlis, qui grauius iudicabit, quàm si homines eos iudicarent. Verum boni principes, isto textualde se debent consolari, q. sciant suam potestatem esse à Deo, etiam si saepe incidant in ea quæ nō uellēt, dum uolunt præstare suum officium: nemo magis in mundo patitur atq. bonus princeps & c.

## Reddite igitur omnibus.

Videbat Paulus quosdam, qui uolebant dici Christiani, non uelle soluere tributum, ideo iubet, ut cuiusque quod debetur, reddatur: neque Christus potestatem contempsit, cum dicit ad Pilatum, Non haberes in me potestatem ullam, si non datum tibi esset de super: Phariseos uero semper contempsit, ut eos qui nihil habebant, quo ex uerbo sua defenderent. Soluit  
 & CHRISTVS tributum &c.

## Cui timorem.

Scilicet, debetis, illū timete, quia mandatū diuinū est.

## Nemini quicquam debetis.

Non debetis cuiquam quicquam præter dilectionem, quæ non solum soluit quod debet, sed ultro etiam præstat, quæ aliàs legibus & ui extorqueri non possent, & implet oīa. Hæc Christianis dicuntur, qui iā credunt, ceterū ab ijs qui nondum credunt, fides exigitur, Deo autem nihil debemus, quia omnia remisit, quæ est uera libertas Christiana. Sed non ideo remisit ut superbias in carne, & indulgentis affectibus, sed ut se patrem, proximum uero fratrem agnoscas, hæc inquit Apostolus, admoneo, ut non sinatis ligari conscientias uestras, nisi dilectione.

## Legem expleuit.

Id est, nihil reliquum habet quod faciat, iubente

te lege, si dilexerit proximum, quia ita etiam obediet potestati, nemo poterit iuste contra eum conqueri in ullo negotio. IN HOC SERMONE.

Scilicet qui sequitur, scilicet

**Diliges proximum sicut teipsum.**

Qui id facit, non adulteratur, non furatur, non aliud quo offendat proximum, operatur.

**Consummatio itaq; legis dilectio est.**

Summa summarum. Qui diligit proximum, is ad implet legem. Sed nemo diligit, nisi prius credat.

**Et cum sciamus.**

Hæc cum sequentibus, non cum præcedentibus sunt coniungenda, nam post morum parentheses, admonet nos, ut ipsa uita eas exprimamus, ne propter nos Euangelium male audiat: hætenus, inquit, dormitatum est, tempus est ut expergiscamus, ambulauimus in hoc usq; tempus, in tenebris errorum: sed iam, quia Euangelij lux effulsit, tenebrarum opera relinquamus, & faciamus ea quæ sunt lucis, id est, honesta etiam coram mundo. Hætenus nihil retulerat nudos incedere, quia nox erat: at quia iam dies illuxit, honestius ambulemus.

**Nunc enim propius.**

Hæc omnia usq; ad, abijciamus, sunt in parentheses

collocata, ideo nunc maxime aduigilare debemus, quia propius est nobis iam salus, quam tum cum credebamus, id est, olim putabamus in alijs quibusdam rebus huius temporis salutem constitutam, eramusque incerti de uita aeterna, non habebamus manifeste expressam uim Euangelij, & remissionem peccatorum: nunc autem certo scimus, omnia peccata per Christum sublata, quid igitur stertimus? quin facimus quod erat Christianorum? id est, talia opera, quae sint fidei, non hypocrisis.

### Nox progressa est.

Id est, ferè finita, iam sumus in crepusculo matutino. **DIES APPROPINQVAT.** Id est, Euangelij uirtus, & illuminatio.

### Abñciamus igitur.

Iam quod impietatis est, declinemus, & pulchrioribus induamur, ut homines uideant nos esse sanctos, etiam ex ipsis moribus, & consuetudine quotidiana.

### In die compositae ambulemus.

Id est, honeste, uti Christianos decet: antea nullus erat in nobis pudor, & nudi & incompositi ambulabamus coram Deo & hominibus. Huc pertinet quod Christus dicit Matt. Ut uideant homines opera uestra bona &c. ut sic cõmendetur & laudetur Euangelium.

### Non comestationibus.

Amplificat, quae sunt tenebrarum opera, in quibus



bus nullus erat pudor: nolite, inquit, in epulis & lautijs opipare instructus, deliciari ad crapulam. Opera te-  
nebrarum.

### Ebrietatibus.

In quibus Germani & Poloni peccant.

### Non cubilibus & lasciujs.

Scilicet, cuiuscunq; generis. **NON CONTENTIONE.** Quod fit, quando superbe de nobis sentimus, nostramq; aliorum sententia preferre studemus. **ET AEMVLATIONE.** Id est, inuidia, qua inuidemus honorem alijs.

### Sed induamini.

Conformemini Christo, nō solum fide, sed et moribus.

### Et carnis curam.

Hæc quidem de illecebris carnis non alendis interpretantur, sed non coheret sententia superioribus, uerum ita simpliciter intellige, generalem quamdam esse admonitionem contra carnis adfectus, quibus impellimur, ut arroganter de nobis sentiamus, ideo ait, **NE AGATIS.** Id est, perficiatis.

**CVRAM.** Id est, consilia & prudentiam carnis: non nitamini consilijs animalis hominis: uel, non facite quod concupiscit caro, nam aliud non potest concupiscere, quàm quod contra Deum est, ergo illi fortiter resistendum est, ne auferat à uobis Verbum: nolite illi consentire, ut maxime sollicitet uos ad malum,

faciendum proximo, uel ad consulendum uobis cum iniuria proximi, id quod suggerit ( ut & alia ) prudentia carnis.

## CAP. XIII.

VIDES quàm nihil eorum omittat, in quibus ratio est Christianismi, id est, quæ ad fidem & charitatem pertinent, diligentissime tractat. In priore parte Epistolæ fidem descripsit, in posteriore de charitate agit: pertinet & hoc ad charitatem, ne scandalum sis fratri, neque consistet charitas hæc inter nos, nisi hæc quoque diligentius obseruauerimus. Est uero summa capitis, habendam rationem infirmorum fratrum,

*Media quæ.*

in ijs quæ media sunt, & media esse possunt: præter hæc in toto capite nihil dicit, tametsi copiosius & eleganter. Media ergo dicimus, quæ possum seruare, uel non, salua fide, id est, sine peccato coram Deo: quod uero addo, quæ media esse possunt, propter quædam facio, quæ media non sunt, possunt autem esse ad aliquod tempus: exemplum de Missa, quando Papistæ uolunt, ut ita tantum Missam celebrem, ut laicis alteram tantundem speciem, quæ res per se nõ est media, nam Christus utranque speciem simul dari instituit, potest autem mihi res esse media sine peccato, cùm ad tempus facio, ad promouendum Euangelium, quod & fides postulat, & charitas illorum qui sunt docendi, at tamen id est aliquanto grauius, cum Paulus hic de cibo

bo tantum dicat. Sed nihil nos hæc turbent, quiduis *Media ad tē-*  
 ad tempus ferendum est, cappa, plattæ, propter infir- *pus ferenda-*  
 mos qui Euangelium suscipiunt, donec intelligant ex  
 nostra prædicatione: qui Euangelium non uolunt au-  
 dire, nõ sunt ex numero infirmorũ. Simili modo uirgi-  
 nitas si mihi data esset, possem ducere uxore, aut non  
 ducere, iam est mihi res media, at si non possum conti-  
 nere, non est media, sed necessaria res, non possum sal-  
 uari nisi ducam uxorem, nam scortator fio, quod deus  
 uetuit: uerũ quia hic de cibis agit, uideamus quid sit,  
 Paulo hæc scribendi ista fuit haud dubie occasio, uide-  
 bat quosdam Iudæos, qui facti erant Christiani, mordi-  
 cus tenere ea quæ erant in lege scripta, de porcina car-  
 ne & alijs: itaq; cum non intelligebant libertatem  
 Christianam, abstinebant: erant alij qui norant liber-  
 tatem, & hi uescebantur quibusuis, sed nullo respe-  
 ctu aliorum qui nondum sciebant, quod libere quis  
 illis uesci posset, contemebant eos tanquàm indig-  
 niores: rursus isti iudicabant hos, tanquàm eos, qui  
 facerent contra legem, & sic ab utraq; parte pecca-  
 batur, qui ergo in eis Christiana charitas esse potuit?  
 Ecce propter rem tã uilem charitas perijt: ubi autem  
 hæc non est, ibi nec fides tandem esse potest. Talia &  
 innumera semina impietatis, Iusticiarij quoq; nostri,  
 Iudæis stultiore souerunt, hi enim huic superstitioni  
 alligati fuerunt, alij rursus iudicabant eos. Nonne  
 Franciscanus in sua regula tumebat, & præ se cõiens

nebat Dominicastrum, & ille ex aduerso secundum  
suam stulticiam hunc iudicabat: sed de ijs satis.

Porro eum qui infirmatur fide.

Id est, qui nondum satis robustus est in fide, nec li-  
bertatem Christianam intelligere potest. Vides ergo  
talem fratrem, Christianum & seruum Dei uocari,  
& cum non esse abijciendum, docet Paulus, ut maxi-  
me adhuc aliquid iusticie tribuat externis, ab illo au-  
tem exigit, ne alios iudicet.

Assumite.

Porrigitte ei dexteram, ut filio & fratri, non ab-  
ijcite, sed erigite.

Nō ad dijudicatiōes disceptationū

Disceptatio=  
nes utandæ.

Id est, nō ut perturbetis, aut confundatis alter alte-  
rius conscientia, quod tum fit, quando multū discepta-  
mus & disputamus, defendentes nostra, ut cogatur di-  
cere, nescio quid spectem aut eligam, & exponit.

Alius enim credit uelcendum  
esse quibuslibet.

Scilicet, cibis. QUI INFIRMVS EST.  
Scilicet fide, qui nondū intelligit istam libertatem.

Qui uescitur.

Scilicet, cum scientia libertatis.

Non uescientem.

Id est, eū q̄ nondū audet edere, q̄ ignorat esse liberū.

Ne



## Ne iudicet.

Id est, non condemnet, dicendo, iste est hereticus, quia edit carnes sexta feria. Primum ergo, hæc de medijs intelligimus, ceterum in necessarijs plus deo, quam hominibus obediendum est. Secundo, in medijs, rationem scandali habere debemus, non Phariseorum, qui senendi sunt, etiam authore Christo.

Scandalum

## Deus enim illum assumpsit.

Id est, ita pertinet ad Deum, ut tu.

## Tu quis es?

Argumentum est ex civilibus legibus desumptum. Nullus enim iudicum iudicat quenquam, qui alterius fori est, ut nec Pilatus uoluit iudicare Christum, mitens ipsum ad Herodem: neq; paterfamilias, uicini seruum iudicat: sic & in hoc loco, tu iudicium Deo committe, cuius hic seruus es, ille iudicabit eum.

## Proprio domino.

Id est, suo, quid ad te, siue bonus sit siue malus, qui edit feria sexta carnes? stultum est de eare pronuntiare, quam quis non intelligat.

## Imo fulcietur ut stet.

Corrigit quod dixerat, cadit. q. d. Christianus in cadendis carnibus cadere non potest, tamen ut stet, à Domino sustentabitur, Dominus infirmiores fide confortabit, ut & ipsi intelligant.

Potens enim est Deus ut stet.

Scilicet, qui tibi uideatur cadere.

Hic quidem iudicat.

Antichristi  
regnum.

Hæc diligentius adnotanda sunt, propter ea, quæ in 1. Tim. 4. de regno Antichristi dicuntur, quod prohibet contrahere matrimonium, abstinere iubet à cibis & c. Sed dicunt, non prohibemus matrimoniū, nisi clericis. O stultos et ineptos, nunquid Clerici nō sunt homines? nunquid illi non sentiunt carnis molestiam, quemadmodum laici, quos uocant? an nō est hoc prohibere matrimonium? Sic & de cibis dicunt, non iubemus abstinere, nisi certis diebus. Hæc eorum est insipientia, qua se produnt qui sint: non uiderunt hunc Pauli locū, quo uetat discernere inter diem & diem, hinc alios festos, alios profestos, hos prophanos uocabant. Quid potest cogitari stultius?

Ille autem idem.

Id est, est alius qui nō discernit inter diē & diem.

Vnicuique sua mens satisfaciat.

Conscientia  
certa omnia  
facienda.

Id est, quisque certus sit de sua mente, ut sibi ipsi satisfacere possit, quando quis certus est in mente sua, id quod facit placere Deo, tum sibi ipsi satisfecit, etiā si totus mundus & Sathanas contradicat, ut si edat feria sexta carnes, aut aliud quid agat, quod medium sit. Rursus ille quoque qui non edit carnes, si certus est

*in sua conscientia, id placere Deo, quod nō edat, sibi ipsi  
satisfecit, ideoq; ex fide quisq; quod facit, faciat, id est,  
si incertus fuerit peccabit, etiam si faciat, aut nō faciat.  
Non edes carnes, nisi scias non esse peccatum, non ab-  
stinebis, nisi scias non te peccare, si abstines. Hæc om-  
nia de Christianis & fratribus loquitur Paulus, non de  
Pharisæis, qui non sunt fratres.*

**Qui diem curat.**

*Qui discernit diem ab alio die, ut nos dominicam,  
ab alijs, item festa quedam.*

**Domino curat.**

*Id est, contrarium non audet facere. Magna hic di-  
cit Paulus, quod etiã superstiosiora fiant propter De-  
um in infirmioribus, id est, in illis qui adhuc docentur.*

**Qui non curat, Domino nō curat.**

*Qui non discernit diem ab alio, quod faciunt qui  
intelligunt libertatem Christianam, propter Deum id  
facit.*

**Qui uestitur, Domino uestitur.**

*Id est, qui quiduis edit, propter Dominum id facit,  
quia intelligit libertatem Christianam.*

**Gratias enim agit Deo.**

*Laudat Deum, ut in Epistola ad Timoth. uides.*

**Qui non uestitur.**

*Scilicet, propter infirmam fidē quam habet, sperat*

salutem à Domino, sed tamen hæret adhuc in externis propter infirmitatem.

Gratias agit Deo.

Habet bonam conscientiam, quod istud placeat Deo.

Nullus enim nostrum sibi ipsi uiuit.

Idcirco debemus habere rationem infirmorum, quia Domino, non nobis, uiuimus, & exponit se.

Nam siue uiuimus, Domino uiuimus.

Neminem iudicemus.

Argumentum est à maiore, si uita & mors non est nostra, sed Domini, quanto magis cibus & potus? non ergo iudicemus quenquam, relinquamus illi, in cuius manu omnes sumus. Volebant hæc intelligi de proximis, sed non est huius loci sententia, nempe, nos non nobis uiuere, sed alijs, ideoque quiduis ipsis impertiendum esse. Sic autem ad proximum etiam pertinet, ut propter Dominum non simus scandalo alijs.

In hoc enim.

Hic uides, de quo Domino dicat, nempe Christo, qui constitutus est iudex uiuorum & mortuorum, data illi potestas in caelo & in terra. Noli ergo iudicare quemquam, committe huc Domino, in cuius manu sunt uiui & mortui, edens & non edens.

Tu cur iudicas?

Id est, qui infirmior es.

Aut tu



Aut tu cur despicias?

Tu qui firmus es fide, & intelligis libertatem Christianam, cur despicias eum & abijcis, qui non edit, & hoc est quod in Corinth. dicit. Scientia inflat, charitas edificat.

Omnes enim statuemur apud tribunal Christi.

Siquidem iudex omnium constitutus est, & eorum qui fide sunt firmi & infirmi.

Vivo ego.

Mihi relinquendum est iudicium, nam omnia mihi sunt subiecta: uolo ut adorer ab omnibus, & cognoscar Deus. DE SE. Non de alijs: Pessimum hoc in nobis est, quod statim alios iudicamus. 1. Corint. 11. Si nos ipsos diiudicaremus, non iudicaremur à Domino.

Ne posthac igitur, alius alium iudicemus.

Videntes iudicium non esse nostrum, sed Dei.

Verum illud iudicate magis.

Id est, discernite & obseruate.

Ne offendiculum ponatur fratri.

Ne demas infirmiori fratri causam scrupuli, aut morsus conscientie, de quo doleat, neue demas ipsi occasionem ruine & desperationis, ut excidat ab Euangelio, unde tum blasphemetur bonum nostrum.

## Noui siquidem.

Munda et im  
munda.

Posset quispiam dicere, an igitur cibus sanctiores facit? Respondet, minime, scio, inquit, & in conscientia mea certus sum, per fidem meam in Christū, ex quo hęc didici, nullum cibum esse commune, id est, talem qui immundos faciat, nullus cibus est, in quo peccari possit, quod si eo abutor, non cibi, sed mea est culpa, omnia enim munda sunt mundis. Hęc uero dicit propter Iudeos, qui ea tantum munda dicebant, quibus ipsi uescebantur, ea immunda quibus Gentes.

## Nisi ei qui existimat.

Huic commune est, id est, immundum aliquid, qui habet conscientiam, quod non licet uesci. Tandem igitur talis abstineat, donec intelligat sibi liberum esse. Deus hanc infirmitatem ferre potest, ceterū hoc quod contra conscientiam facto, ferre non potest, quia contemptus Dei est.

## Verum si propter cibum.

Hęc diligenter uidenda erant, ut nos permouerēt qui sumus pronissimi ad fratrum infirmorū offendicula. Primum, inquit, qui nō habet respectum infirmorū, Christiani spiritus nihil habet. Secundo, contra fidem facit, quia perdit preciosissimā animā, quam Christus redemit suo sanguine. Papistę, quid non fecerunt malorum, dum tradiderunt Sathane, impijssimi homicidę eos qui nolent aut non possent abstinere à cibis?

Si propter

SI PROPTER CIBVM. Scilicet rem tam uile.  
FRATER TVVS CONTRISTATVR.  
Lædatur in sua conscientia.

Non iam secundum charitatem  
ambulas.

Id est, nihil Christianum facis, Christianus non es.

NE CIBO Id est, re tam uili.

Pro quo Christus mortuus.

Id est, quã magno precio, sanguine Christi emptus est.

Ne uestrum igitur bonum.

Nolite permittere, uestro esu, aut alijs rebus, ut ma-  
le audiat Euangelium, & dicatur de uobis: Ecce, est hoc  
Euangelicum? sicq; fit, ut offendantur & resiliant ab  
Euangelio, qui debebant tuo exemplo & uita, ad illud  
pertrahi. Vide quæso, quas poenas sis daturus Deo, pro  
tanto offendiculo.

Scandali ui-  
tandi ratio.

Non est enim regnum Dei cibus.

In hac sententia pendent omnia quæ Paulus in hoc  
Cap. dixit. q. d. neq; per hæc, neq; alia externa salua  
beris, nihil refert coram Deo, siue pisces, siue carnes edas  
2. Corinth. 8. Aescã nos non comendat Deo, & Chri-  
stus dicit: Regnum Dei non uenit cum obseruatione.  
Hic nescio quid Bernhardus senserit sæpe ex hoc loco,  
pro ieiunio & abstinentia ciborum, sed ipse uiderit, nos  
simpliciter dicimus, nullum externum facit nos Christianos

COMMENT. POMER.

SED IUSTICIA. Id est, fides, qua purifican-  
tur corda, et quæ sola nos Deo commendat. PAX.  
Scilicet cū proximo, uel conscientie. GAUDIUM.  
Scilicet, de consecuta remissione peccatorum. Non est  
gaudium hoc in externis rebus, de carnibus aut alijs,  
sed quod Euangelium fructum faciat, quod gaudiū est  
spiritus sancti.

Etenim qui per hæc seruit Christo  
Id est, per iusticiam, pacem, gaudium, hunc habet  
Deus pro filio.

Et probatus hominibus.

Id est, bono exemplo est hominibus, nullus eum po-  
test accusare, qui hæc tria habet, ut maxime impij quan-  
doq; damnent, tamen coguntur, uel inuiti aliquando  
dare testimonium innocentie.

Et quæ ædificationis.

Aedificatores sunt, qui adportant nobis Dei Verbum  
Destructores, qui nos seducunt falsa doctrina. Sed ad-  
uerte, quod utrunq; dicat: Quæ pacis sunt sectemini,  
et quæ ædificatiōis, quid enim profuerit habuisse pacē  
cū hostibus Euangelij, Papistis scilicet? taceo Euange-  
lium: ut mala doctrina, ita et scandalo sit destructio  
aliorum.

Ne tibi caussa.

Opus Dei est infirmus, quia fidē habet, estq; templū  
Dei,



Dei, hunc non solum creauit Deus, sed & regenerauit  
imò pro eo mortuus est.

### Omnia quidem pura.

Non abutamur Christiana libertate, quamuis sciamus omnia munda esse mundis: non contempnamus fratrem, dicendo: mihi liberum est quibusuis uesci: uerum infirmam rationem habeamus, quod Deus nobis præcepit: non est quod hic tua fides omnia sibi sumat, quia magis fides infirmior fratris curanda est, hinc subiicitur.

### Malum est homini.

Id est, propriæ cōscientiæ est in damnationem.

QVI PER OFFENDICVLVM. Si offendat proximum.

### Bonum est homini.

Hebræico more, pro melius est, illa non edere, ac bibere, si uideat fratrem infirmum illis offendi. IMPINGIT. Metaphoricòs dicitur, quemadmodum in lapidem impingimus: sic corda quando intelligunt aliquid indignum geri, impingunt & offenduntur.

INFIRMATVR. Scilicet, fide.

### Tu fidem habes.

Id est, intelligis tuam libertatem Christianam, & scis in nulla re media te peccare, tamen charitas te contineat, ne quid insolentius facias in fratrem, tu enim si esses infirmus fide, nolles id tibi fieri.

Apud te metipsum habe corā Deo.

Id est, in tua cōscientia tibi sufficiat tua fides, apud te in corde tuo latere, quod omnibus possis libere uti ex Dei uerbo.

Bona conscientia  
fiant  
omnia.

Beatus qui non iudicat seipsum.

Aurea est sententia: multi comedunt carnes temporibus prohibitis, abijciunt Cappas, negligunt horas Canonicas, sed non uident, num sit contra conscientiam suam nec ne, nihil faciendum est ad aliorum exemplū, sed iuxta Verbum, ut possis factum tuum defendere coram Deo contra Sathanam. Videmus quosdam reuerti ad Cappas. nam timent se non posse saluari, nisi rursus ingrediantur monasterium, hi quod fecerunt in abijcendo Cappam, contra conscientiam suā fecerūt, ideoq; non consistunt, Sathana eos tētante. Ergo uideamus, ut omnia bona conscientia faciamus, ne nos ob ea iudicemus, uel conscientiam, ut uulgo dicunt, faciamus, & exponit se.

At qui dijudicat.

Id est, qui damnat seipsum, & facit sibi conscientiam, uel secū in cōscientia disceptat, quod manducat carnes, is iam condēnatus est, edū enim cū contemptu Dei & credit Deo displicere, ideo rursus à Deo abijcitur.

Porro quicquid ex fide non est, peccatum est.

Hæc est

Hæc est omnium conclusio: omnia quæcunq; per nos geruntur, si non credantur placere Deo, peccatum sunt: ergo quicquid faciunt iusticiarij, peccatum est, nã sine fide, sua opera faciunt, putantq; se ex illis salutem consecuturos: non uident in gratiam, sed meritum, quæ neuitquam cõueniunt, itaq; fide faciamus omnia, id est bona conscientia, secundum Verbum Dei, tum non errabimus, tamen si sæpe contingat error, ex bona conscientia, quemadmodum de Paulo legimus, cum adhuc esset iudæus, tamen Verbum Dei aditum, non sinit errare, quæ est ipsissima fides.

Peccatum est  
quod absq; fide  
de fit.

## CAP. XV.

**C**APITE superiori de scandalo, deq; ijs qui fide sunt infirmi, necdum libertatem Christianã sunt adsecuti, dixit Apostolus. Hic in principio huius Capituli, quod ad superiora pertinet, Christi exemplũ nobis proponit, in quo quid Christianam mansuetudinem & facilitatem deceat est cernere. Ipse enim non infirmos, imò nec impios & iniquos, abiecit, siquidem iniquitates omnium ipse portauit. Itaq; in hoc exemplum imitemur, neminem cibo offendamus, feramus æquius aliorum errata, imò & peccata in nos commissa, non etiã nostra queramus, quod sine fratrum damno haud unquã fieri potest.

Debemus autem nos, qui potentes sumus.

*Scilicet, fide, unde & mores boni & Christiani emanant. Temperat enim hæc & uitam & totam eorum externam conuersationem.*

Infirmitates impotentium.

*Id est, illorum, qui nondum sunt satis firmi in fide, & moribus Christianis.*

Ac non placere nobis ipsis.

*Id est, non debemus uti nostro iure aduersus proximum, hoc enim & meliores & potentiores uideri uolumus, qui adfectus non est charitatis in fratres. Qui sibi ipsis placent, necesse est, ut alios contemnant, cum potius se illis submittere debebāt, omniaq; propter eos fieri. Non sunt ergo Christi, qui talia non obseruant, nā Christi exemplum negligunt, id est, nihil in fide, sed cōtemptu omnia agunt. Subijcit autem rationem.*

Nā unusquisq; nostrū proximo placeat in bonū ad ædificationem.

*Id agamus, ut proximo placeamus, at non quouis modo, sed in bonum, non uult Paulus, ut conuicemus uiendum, sed ad eorum uita, uerum accommodemus nos illis, in ijs ad bona tan- que possint esse salutis, & ex quibus meliores reddi queant, & hoc proprium est Christianæ charitatis, sic placere alicui, ut in Deum non pecces: sed mundus aliter*



aliter placet suis, non habita ratione salutis, aut fame etiam fouet mēdaces, deceptores, palām iniustos, adulteros, & alios malos, quibus placet, in suam & illorū perniciem.

Etenī Christus nō placuit sibi ipsi.

Potuisset Christus nos omnes abijcere, quia impij eramus, ipse uero omni culpa uacabat, uerum noluit, tam bonus, tanq̄; benignus erat in inimicos suos, quare & nos illius exemplo moti, neminem contemnimus aut abijciamus: habeamus illum semper tanquam imaginem quandam nobis propositam, in quam cernamus ut quoties usus postulet cū proximo, uel loquit, aut quid aliud agere, ex ea formam quandā petamus, & nobis desumamus loquendi agendiq̄; omnia cum illo.

Scriptum est.

Scilicet, in Psal. Saluum me fac Deus.

Opprobria opprobrantim tibi, ceciderunt in me.

Id est, super me. Sunt uerba Christi, ut & historia indicat, in qua dicitur: Dederunt in escam meam fel: & cetera pleraq̄; in eo sunt Psalmo, quæ testantur Christum indignissimis modis acceptum fuisse.

Nam quæcunq̄; præscripta.

Occasione citationis ex Psalmo, subiicit hanc generalem sententiā, & dicit illum Psalmum, quomodo dicitur

COMMENT. POMER.

reliqua omnia in sacris libris, nobis esse scriptum, unde discamus, ne à spe in Deū excidamus, dum multa patimur, nō solū à fratribus, sed etiā ab inimicis: patientia opus esse nobis, ubi Christiani facti sumus, & Christiane uiuimus, hic in fine declarat, alioqui quomodo perstemus? Quemadmodum de optimo agro dicit Christus, fractum afferunt in patientia. Scripturæ semper nos consolantur, dum doctrinas, & exempla sanctorū nobis proponūt, sic sensit Paulus, quicquid interim sentiant Pseudoprophetæ de scripturis, illi enim aiunt, nō opus esse externa Scriptura, quia scriptum sit in Hieremia: Non docebit unusquisq; proximū suum &c. hinc & nos scribas, & legisperitos uocant, quod hæreamus in scripturis. Nonne uident hic Paulum citare ex Psalmo, non ea quæ spiritus clamat è cœlis, aut quæ ex reuelatione singulari interpretetur? Non itaq; negligamus Scripturas, quas Deus nobis dedit ad sui cognitionem: sicut per media quædam, cibum, & potum, nostram uitam conseruat, ita quoq; per Scripturam nos docet: uisitur ministerio sui Verbi, quod est in uoce, & litera externa, in gloriā sui nominis, ut per eā diiudicare possimus, omnes spiritus, ne uerbū aliud, q̄ Det admittamus. Sed hoc modo, eripere uult nobis Saithanas purum Verbum, quo crepto, necesse est, ut in crassiores, q̄ unquam fuimus tenebras, recidamus. Sat scimus, quod externa litera, & Petrus, uel Iohannes nos non illuminent, tamen certi sumus, quod per hæc media, tanquam instrumeta,

Scriptura nobis opus est.

*mēta, nos Deus illuminet : sed de his satis. In hunc usum habeamus Scripturas.*

**Ut per patientiam & consolationem scripturarū spem habeamus.**

*Nam multa, & innumera mala in hoc mundo nobis accidunt, quæ debemus ferre patienter, si enim impatientes fuerimus, Christiani non sumus : quotquot fuerūt à condito mundo pij, & Christiani, hi omnes multis tribulationibus sunt afflicti, sed quia eas per patientiam, spe in Deum firma posita, uicerunt, salui facti sunt, ut testantur exempla sanctorum à primo Abele, usq; ad eos, qui hodie uiuunt, iusti : quare etiam Christum per crucem ad uitam intrare oportuit.*

*Cruce Christi  
anorū tessera*

**Deus autem patientiæ & consolationis.**

*Merito hæc nomina habet Deus, ipse enim solus est auctor patientiæ, & omnis consolationis. Scripturis quidem utimur ad patientiam, & consolationē, tamen si non sint ipsa consolatio, & patientia : quemadmodum & cibo utimur, tamen cibus non est uita nostra : edit quispiam, & bibit hodie, tamen incertus est, an cras sit uicturus : ita nec prædicationi meæ uitam & illuminationem cordis tribuo, scio tamen per eam Christum dare uitam, & illuminationem.*

**Det uobis idem mutuo.**

COMMENT. POMER.

Egregia hæc est imprecatio, qua uelut omnes homines idem sentire, esse eiusdem sensus, id quod charitatis est Christianæ: ubi uero is affectus non fuerit, impossibile est esse Christianos, imò nec ulla salus adest: omnis extincta est fides, & nullus Dei timor inuenitur, id experti sumus in regno Papæ, quod Sectis refertū erat: non aliud uidemus hodie, in quibusdam, qui nouū quendam Monachatum instituunt, putantes quoq; regnum Christi in externis elementis consistere, nempe, si sordidi & pannosi, incedant negligenter, quasi corpus non curent, aut etiam humili quadam appellatione nominentur: quæ omnia aliud non sunt, quam nouiter excogitata hypocrisis, nihil retulerit siue sic, uel sic uestiamur, his aut alijs uescamur, sint omnia externa diuersa, modo idem in cordibus sentiamus, respiciamusq; omnes eundem Deum, per cuius misericordiam simus saluandi, tunc nõ abutemur, neq; uestibus, neq; cibis, neq; alia libertate. Addit ergo

Nouus non  
strorum mo-  
nachatus.

Secundum Iesum Christum.

Id est, secundum Euangelium, ut omnes habeatis Christum pro uestra iusticia, sitisq; cõcordes, in ijs omnibus quæ Dei sunt, ut scilicet sit una laus, una prædicatio nominis Dei inter uos, non diuersa, qualis hæcenus nostro tempore fuit.

Vt unanimiter uno ore glorificetis Deum.



Non dicit ut cantu, & boatu in templis glorificetis Deum, sed una prædicatione, eadem sententia, ut per hoc ad Christum conuerti possint, qui uos audient; nã si diuersa senseritis, & docueritis, futurum est, ut nulla unitas in uobis inueniatur, sed Sectæ periculosissimæ nascantur.

### Ac patrem Domini nostri Iesu Christi.

Quid attinebat hæc addere? An nõ idem sunt Christus & Deus? expositio est, ut rectius intelligas, quis sit ille Deus, qui est glorificandus: Aliter, inquit, glorificari nequit, nisi cognoscatur esse pater Domini nostri IESU CHRISTI, & nisi Christus sciatur esse tantus, tanq; excellens Dominus, sub quo solo tuti sumus, nam dum sub illius protectione & fauore sumus, cuius pater Deus est, nihil nobis aduersum accidere potest.

Deus glorificatur.

### Quapropter.

Cõcludit hũc locũ de charitate, nolite esse scandalo fratribus, ut grandescant & ipsi in fide. Sic enim Christus iniquitates nostras portauit, & assumpsit nos in gloria Dei, ita quoq; fratres nostros infirmos adsumimus ut inde glorificetur Deus. Qui ergo cõtemnũt fratres, Deũ nõ glorificant, quia à fide resilerunt: non est pestilentius uirus in corde hominis, quàm q; honorari præ ceteris uelit, nolitq; sibi præferri quempiã ex fratribus quando ille portaret infirmiorum fratrum iniurias?

Infirmitatũ habenda ratio.

Illud autem dico.

Hic est finis epistolæ, in qua de iusticia per Christum in nos, qui omnes sumus peccatores, multis egit, neq; quisquam putet sequentia coherere ijs, quæ de moribus, & externa conuersatione dixit: uerum continent Epilogum, omnium quæ in tota epistola dicta sunt, nempe, neminem siue ex Gentibus, siue Iudæis saluandum, nisi per Christum, quamuis etiam Iudæi promissionem acceperint, non tamen saluari ex meritis, sed misericordia, quæ tandem & ad Gentes peruenit, ideo dicit: illud dico, id est, hæc est summa totius rei, hoc uolebam.

Iesum Christum ministrum fuisse.

Id est, Apostolum: Hebræ. 3. & Matth. 16. dicit. Non sum missus, nisi ad oues perditas domus Israel. Prædicauit igitur & in propria persona Christus Iudæis, quibus promissus erat: deinde etiam in spiritu, ut Petrus inquit, ad Gentes uenit.

Pro ueritate Dei.

Id est, propter ueritatem Dei, ut Deus uerax inueniretur in suis promissis, q; scilicet missurus erat in carne Messiam, ut in Deute. 18. prædictum erat: ergo unico uerbo, aufert à Iudæis omne meritum, & opera legis quibus fidebant, cum dicit: Propter Dei ueritatem: non uenit propter merita Iudæorum, sed ut uerax esset, in promissionibus patribus factis.

Contra merita.

Cæterum

**Cæterū q̄ gentes glorificent Deū.**

Quod, legendum est, nō ut: duo, dicit Apostolus. Primum, in hac mea Epistola adserui ex spiritu Dei, Iudæos ex Dei misericordia saluari, non respectu suorum operum, aut meritorū. Secundo, & Gentes eadē Dei misericordia saluari, unde & Deum glorificant, & prædicant: ex quo inferri necesse est, si non saluamur misericordia Dei, damnaremur, nihil enim hic ualent merita. SICVT SCRIPTVM EST.

Confirmat scripturis, q̄ & Iudæi, & Gentes sal-  
tur per Christum.

**Propter hoc confitebor.**

Id quod factū Euāgelij prædicatione uidemus, lege Psal. 17. & intellige rectius hunc locum. ET  
RVR SVM GAUDETE. Hoc ex cantico Mosi  
desumptum est. LAUDATE DOMINVM.

Iudæi per populos significabātur, quia gloriabātur  
se peculiariter esse Dei populum.

**Esaias dicit: Erit radix Christi.**

Quasi diceret, non peribit. Videbatur quidē tem-  
pore Christi perisse, & nunq̄ aliquid productura. He-  
rodes & alij alienigenæ Regnum occupabant, non  
erat Rex secundum legem, attamen, nemine cogi-  
tante, produxit nobis Gentibus Christum, in quo om-  
nis spes nostræ salutis est collocata. Quare hæc om-  
nia citat Paulus, quasi tantum de Gentibus dicantur &

Respondeo: Paulum multo accuratius introspicere scripturas q̄ nos, nam simul hic, & Iudæorum & Gentium salutem probat, tamen salus ex Iudæis est, natus est ipse Christus ex Iesse, Iudæorum stirpe.

Deus autem spei.

Id est, qui author est spei, & sine quo nulla est spes, utcunq; facias bona opera in speciem.

Impleat uos omni gaudio & pace.

Id est serenitate conscientie. Nam gaudium & pax consequuntur fidem, ut in 5. dictum: Iustificati ex fide &c.

Ut exuberetis in spe.

Fidendū Chri- Id est, abundetis omnibus, nulla sit uobis penuria, stiano, etiā si tum secundum corpus, tum secundum spiritum. Mi- nihil habeat. rabiles hæ (tamen Christianæ sunt) imprecationes carni uidentur: Christianus cum non habeat pecunias, unde uiuat & alatur, iubetur, ut speret in Deum. Item cū nihil aliud uideat quàm peccatum, nihil salutis & consolationis sentiat, iubetur sperare salutem: hinc & Deus spei dicitur, & fides, per authorem, ad Hebr. Epistolæ, dicitur substantia sperandarū rerum, id est, earum rerum quæ tantum creduntur et sperantur: mundus nihil habet, quamuis diuitias iacetet, quia non credit, nec sperat se ex Deo habere. Vbi itaq; hanc spem habuerimus, & gaudium & pacem, in conscientia sentiemus.

Per potens



**Per potentiam Spiritus.**

Nam hanc spem, nemo ex se habere potest, nisi per potentiam Spiritus Dei operantis in nobis.

**Per uasum enim habeo.**

Peroratio est, qua se excusat, q̄ libcrius eis scripse rit, qui tamen antea sint instructi in fide, estq̄; sententia, Vt cunq; ò Romani non indigeatis meis scriptis, tamen impleo meum ministerium, sum enim Aposto- lus Gentiu, paratus sum, & uobis predicare Euāge- lium, si Deus uolet. Nō ergo temere hāc ad uos scri- psi epistolam, incumbit mihi hāc cura, q̄ de uobis sum solicius, audio enim quibusdam Pseudapostolis uos se- duci, non dubito uos plenos bonitate, id est, charitate qua alius alium ferat, item nec scientia, id est, cognitio- ne eorum quæ sunt Dei, tractatis enim Scripturas.

**Sed tamē audacius scripsi ex parte.**

Omnia hęc ad modestiam pertinent, qua etiam in primo Cap. utebatur.

**Veluti cōmonefaciens.**

Non docens, propter mādatum docendi, quod ha- beo à Deo in Gentes.

**Administrans.**

Græce legitur, sacrificans Euangelium Dei, & rectius. Sacrificat enim Euangelium Deo, quia præ- dicat id in corda Gentium, qui tandē se Deo offerunt

ubi crediderint, & ad illū accedūt: ideo ait **V T**  
**FIAT OBLATIO GENTIVM ACCE-**  
**P TABILIS.** Id est, ut ipse Gētes fiant Deo hostiæ  
 per Euangelij prædicationem.

**Sanctificata per Spiritum.**  
 Id est, per fidem, quæ est opus spiritus sancti, ope-  
 rantis in cordibus credentium.

**Habeo igitur quod gloriar.**  
 Non in alio, quam in Christo gloriari possum, cu-  
 ius ego Euangeliū inter Gentes, diuino mandato, præ-  
 dico: res illa non ad me, sed ad Deum pertinet, nō est  
 ex hominibus, sed Deo, meū Euangeliū. In his uides, q̄  
 certus sit Paulus de sua prædicatione, q̄ sibi à Deo sit  
 cōmissa, ergo damnandi, quicūq; putant Pauli scripta  
 esse abijcienda, id quod multi hodie uellent, quæ nō  
 solum scripturis Prophetarū & legis sunt cōproba-  
 ta, sed etiam miraculis cōfirmata. Recte itaq; adiecit

**Non enim ausim loqui.**

**Docentes cō-**  
**tra conscien-**  
**tias.**

Hoc contra Pseudapostolos dictum est, qui audent  
 contra conscientiam docere, quæ non credūt, & quæ  
 eis nō sunt commissa, & tamen de spiritu interim mul-  
 tum gloriantur, qui facile potest dijudicari à Christia-  
 nis, siquidē qui non loquitur de Christo, ipsum esse  
 redemptionē nostrā, nō potest esse bonus spiritus. Sūt  
 hodie nō pauci tales spiritus, qui quis in specie uident  
 damnare opa, tamē uenenū alunt intus, & fallūt sim-  
 plices mentes.

**In obediē-**

In obedientiam Gentium.

Ut obediant gentes Euangelio, & Christo.

VERBO. Id est, admirabili prædicatione. FACTO. Id est, miraculis.

Per potentiam signorū

Id est, ipsius spiritus Dei, qui omnia hæc facit: nostri quoque hodie requirunt miracula, sed interim cæci, non uident innumera miracula: præterea, & hæc nostram prædicationem etiam, Apostolorum mille miraculis confirmatam.

Ut ab Hierusalem.

Quia inde ortum est euangelium, secundum Mich. 4. & Esa. 2. prophetiam.

Et in circuniacentibus.

Id est, propagatum est per me Euangelium ab Hierusalem, usque ad Illyrios, qui uicini sunt Ungaris.

Ita porro annitens.

Id est, ibi conatus sum Euangelium prædicare, ubi nec nomen Euangelij antea auditum fuerat.

Ut ne super alienum fundamentum,

Id est, ne ibi prædicarem, ubi alij quidam ante me prædicassent.

Quibus non est annunciatum de.

Hoc dicto Propheta, Dei gratiam que nobis Gen

**Merita tollun** tis ad nos uenerit, quid enim mereri potuimus, cum  
**tyr.** nobis ignotum esset nomē Euangelij? Non erat quicquam nobis prædicatum per prophetas, uti Iudæis, uerum non sperantibus nobis ad nos uenit, neq; humana gloriatio hæc est in Paulo. Fauet alijs, quam sibi pararunt gloriam in alijs locis, prædicatione Euangelij. Est etiam pestilentius quiddam, si Pseudapostoli prædicant sua in eo loco, ubi antea Euangelium prædicatum est, quàm si inter eos spargant sua somnia Sathane, ubi nihil Euangelij auditum est: quod non si ne multa animi perturbatione uidemus & hodie fieri, nostri enim Noui Spiritus non ibi se ingerunt, ubi Euangelium non est prædicatum, timenti enim crucem, sed ubi iam nihil uidetur esse periculi, ibi triumphant, & quiduis audent. Veniunt & Pseudapostoli, non mittuntur, consulunt suæ rationi, non aliorum, dum Euangelium promittunt, quare non possunt sincere, & cum fructu Christum prædicare. Obserua quoq; Apostolorum esse, ad uaria mitti loca, ut fundamenta iaciant, Episcoporum autem, ut unitantum ciuitati, aut communitati præsent, tueanturq; fundamenta Euangelij, & super ea ædificent.

Quapropter & præpeditus.

Familiaria hæc sunt, ut maxime nõ indigeatis meis scriptis, tamen quia Gentium sum Apostolus, sepe  
etiam



etiam uenire ad uos uolui, sed occupatus negotio aliarum Ecclesiarum, id facere non licuit.

**Nunc uero cum non amplius.**

Id est, cum impleuerim meum ministerium prædicandi, in his regionibus (sunt enim iam Episcopi constituti in ciuitatibus, qui aduigilent, fuit autem tunc in Græcia Apostolus, quando hanc scripsit epistolam) curabo ut expleam meum in uos desiderium, in Hispaniam enim per Romam profectus, & non dubito, aliquos ex uobis, illuc me conducturos, neque prius, ubi uenero ad uos, à uobis discedam, quàm omne meum desiderium, uestra suauissima consuetudine expleuerim. Sed ignorauit Paulus, qua occasione Romam esset uenturus: hinc recte dicit Solomon: Homo lapillos in urnam proicit, sed à Domino temperantur: uenire debebat Romam, sed occasione appellationis Cæsaris, non quemadmodum proposuerat.

**Nunc autem proficiscor Hierosolymam ministrans sanctis.**

Per iter quod agebant Apostoli, sanctis ministrabant, erant autem eo tempore multi pauperes Hierosolymis, præter hoc enim, quod eis bona erant direpta, erat & illic magna fames sub Claudio facta, quare, & ipse collegerat in ecclesijs Græcorum elemosynam, quam Hierosolymam portabat: interim uero, et modestissime hortatur Romanos, exemplo Græcorum

COMMENT. POMER.

rum ecclesiarum, ut & ipsi egentibus sua eleemosyna subueniant: sed textus hæc clarius dicit.

COMMUNICATIONEM. Id est, eleemosynã

Nam ita uisum est ipsis.

Id est, ita eis placuit: non dicit, nos nostra prædicatione eos coëgimus ut darent, sed sponte, & humilari animo dederunt.

Et debitores illorum,  
Scilicet, qui sunt pauperes Hierosolymis.

Sunt.

Quia ex Ierusalem, propagatum est ad eos omnes Euangelium.

Etenim si spiritualia sua.

*Docētibus de  
beri uictum.*  
Eodem argumento in Corinthijs utitur, item ad Galathas. & Non possumus nostram fidem, & uerbū quo ditati sumus in cordibus nostris, alijs communicare aliter, nisi prædicatione Euangelij, quæ communicatio sanè est spiritualis: par est igitur, ut ij quibus communicamus, communicent & nobis sua temporalia, & quæ sunt necessitatis uitæ nostræ.

Hoc igitur ubi perfecero.

Satis callide hoc dicit: nam sciebat Romanos qui prudentes erant, id haud dubie intellecturos, nempe, & Paulus obscurius, & ipsos moneret ad eleemosynã dandã, ergo, ubi, inquit, ego hoc ministeriũ expleuero.

Et obsigna

Et ob signa uero hunc fructū.

Id est, ob signatum obtulero eis, ne res ullam habeat suspicionem mali. Ego reuertar per uestram urbē in Hispanias.

Scio nancq̄,

Id est, ut cunq̄ sciatis multa de Christo & Euangelio, tamē mea prædicatio, nō erit uobis cū uenero, inutilis. Benedictio in scripturis multiplicationē, & auctū significat, et Dei dicere, est se ipsum facere, secundum illud: ipse dixit & facta sunt: cum ergo alicui Deus benedicit, illi bene facit, quemadmodum legitimus de Abraham, Isaac, Iacob, Ioseph, Dauide &c. ij simul & Verbum Dei, & effectum Verbi habuerunt: secus fit cum alicui homines benedicunt, nam non simul benefaciunt:

Benedicere  
quid sit i scri  
ptura.

Obsecro autem uos fratres.

Quod hic Paulus obsecrat, nobis omnibus erat obsecrandum, estq̄: hæc obsecratio, magis adiuratio, qualis est quoq̄ in Philip. **PER DILECTIONEM.** Quæ est in nobis Christianis.

Vt me laborantem adiuuetis,

Figura græca est, diceremus enim, certantem aut pugnantem. q. d. Ego iam certo, & pugno in Euangelio contra blasphemos, & aduersarios Euangelij, ideo precationibus ad Deū uestris, me iuuate. Cum igitur,

Et contra nos non cesset sathana, per Pseudapostolos prædicatio, debebamus similiter orare, ut Christi Euangelium promoueat, quod faceremus, si intellexeremus quid sit: Sanctificetur nomen tuum, nunquam enim cessabit Sathanas, semper impetet Christiregnum, ideo orandum est, ut hoc regnum destruat, et extrudatur, Christi uero confirmetur in æternū.

Ut liberer.

Vides Paulum sibi aliquid timuisse, et nisi tantū amasset Dei Euangelium, non cuperet hic se superstite esse diutius: Iudeos intelligit, qui erant maximi Euangelij hostes, faciebantque in hoc Paulo multū negotij.

Utque ministerium hoc meum.

Id est, Eleemosynam, quā iam porto Hierosolymā, ut ego saluam, et integram, non interceptam in hoc meo itinere, sanctis pauperibus offeram orate: neque intellige Paulū uoluisse Romanos orare, ut eleemosyna sit accepta sanctis, quomodo enim per se non potuit esse accepta? uerū, ut eā saluā exhiberet, aliās enim si intercepta fuisset à latronibus nihil gratū pauperibus contigisset. Per uoluntatem Dei.

Hoc nunquam omittit Paulus.

Unaque uobiscum refociller.

Vide iterum Pauli modestiam. q. d. non ueniam ut doceam, sed ut gaudeam de uestra, quam suscepistis, fide, ut capite primo.



## CAP. XVI.

**H**OC Capite Paulus salutatur Romanos, & mo-  
 net, ut caueant sibi à falsis Doctoribus, qui Chri-  
 stum non synceriter prædicant. Erant enim tum mul-  
 ti, qui ex Iudaismo conuersi, fidebant operibus legis,  
 putabantq; ea necessaria ad salutem: hi optimam spe-  
 ciem in docendo habere uidebantur, ideoq; periculo-  
 sissime seducebant, nam faciebant, ut sic abnegare-  
 tur Christus. Talia quædam, imò multo nequiora ho-  
 die uidimus, quid enim nõ ausi sunt Papiæ? & neq;  
 dum desierunt omnem mouere lapidẽ, nemo eos ne-  
 gabat perfidiores esse Iudæis, qui suas ceremonias et  
 opera, testimonijs scripturæ confirmabant: nostri au-  
 tem in Scripturis nihil habent in uniuersum, quo suas  
 traditiones obfirmant: quare non temere factum est,  
 quòd tot salutationes cõgesserit, nam multi Romano-  
 rum susceperant Euangelium, quidam ex Iudæis, qui-  
 dam ex Gentibus, inter quos sectæ quædã ortæ erãt.  
 Iudæi Gentes contemnebant: Gentes uero, Iudæos;  
 tanquam Christi crucifixores, & blasphemos Dei:  
 quare Apostolus miro quodam consilio eos tantum  
 salutatur, qui in Christiana simplicitate consentiunt, *Salutatio*  
 imò & ob eam causam commendat quosdam Pau- *Paulina-*  
 lus, quorum sententiam & doctrinam sequantur.  
 Nemo ergo ineptum Paulum esse putabit, qui uno  
 uerbo omnibus salutem inscribere potuisset, cum eos

*Pseudo Do-  
 ctors.*

tantum salutare uoluerit, qui sincero animo Christum profitebantur, præterea testatum facere alijs, de se, cum quibus ipse sentiret, nempe, cum ijs qui à magnis & gloriosis illis Doctoribus contemnebantur. Passim etiam ad nos multi accurrunt, quos ignoramus, sed adportent secum commendatitiæ tales literas, à sanctis prædicatoribus fratribus nostris, quales hic uides, alioqui nebulones sæpe suscipiētes pro fratribus, & apud nos habitātes pauperes negligemus, neque uero raro hic charitas decepta est: tunc habebant sanctorum nomina inscripta &c. sed ea textus clarius indicabit.

Commendo autem uobis  
Phœben, sororem nostrā.

Scilicet Christianam, solet enim Christianos fratres adpellare.

Cenchreenensis.

Cenchris portus est Corinthiorū, ubi multi Christianorum conuenerāt, ut est in Actis. Erant inter hos quædam mulieres, quæ sanctis solebant ministrare, qualis fuit & hæc Phœbe.

Sanctos.

Id est, Christianos, quemadmodum in Matth. 10 dicit: Qui enim receperit aliquē in nomine meo &c.

Nam hæc cum multis adfuit.

Id est,

Id est, cū alijs multis, tum mihi seruiuit in necessitate.

Priscam.

Vxorem. ET AQVILAM. Maritum.

Adiutores meos.

Promotores, ut ita dicam, Euangelij, qui scilicet id agūt, ut incrementū capiat Dei Verbū apud multos.

Qui pro anima mea, luā ipsorum ceruicem supposuerunt.

Scilicet in periculis, quemadmodū Acta testatur.

Ecclesiæ Gentium.

Scilicet, conuersarum ad Christum, nam ipsis tanq̄ instrumentis usus est Deus, ut me conseruaret.

Primitiæ.

Id est, qui ex his quoq̄ est, qui primum illic, rudi adhuc Euangelio, ad Christi conuersi sunt: respicit uero in legem, in qua primitiæ ier̄e erant Deo.

Salutate Mariam, quæ mul-

tum laborauit erga nos.

Id est, nobis cōmoda fuit, & diligentis me minis-  
trauit. Hoc loco abusi sunt Monachi, ut omnibus  
alijs scripturis: uiderunt hic aliquid de Maria, quod  
proficō nos nō possumus uidere, interpretatiq̄ sunt  
omnia de suo Rosario, & in hoc multos Sermones  
scripserunt, sed quā stulte hoc tentarint, uel puer ui-

Rosarij sunt  
damenum.

COMMENT. POMER.

dere potest: num hic Rosarij fundamētum queritur?  
aiunt, Maria, quia multum laborauit, per Rosariū  
est salutanda. O insignes Theologos: nusquam in  
scripturis eorum commentum locum habere potest.  
Verum ridere hæc libet, si refellere nitar, ineptissimus  
cum ineptis fuero.

Cognatos.

Scilicet, ex Iudeis.

Concaptiuos.

Scilicet, qui mecum propter Euangeliū in uinculis  
capti erant.

Insignes.

Qui egregiū habebant testimonium ab Apostolis.

In Domino.

Id est, non carnaliter.

Adiuuorem.

Id est, compredicatorem meum in Euangelio.

Probatum in Christo.

Id est, per manum & optimum Christianum, nans  
& in multis periculis se talem esse ostendit.

Ex Aristobuli familiaribus.

Significat non omnes fuisse Christianos: idem in-  
telliges de familiaribus Narcissi.

Laborant.

Id est,



Id est, quedam pro Euangelio faciunt.

Matrem illius.

Fuit forte mater carnalis Ruffi: uocat & suã, quẽ admodũ & nos, senio confectas mulieres, matres dicimus, & ita placet quoq; Paulo, prima Timoth. 5.

Omnes sanctos.

Qui sunt in terris adhuc: Papistæ habent alios sanctos, quosdam fictos in cælo, alios pictos in tabulis.

Cum osculo sancto.

Mos erat eius regionis, ut salutantes, se inuicem exoscularẽtur, neq; tamen hoc præcipere Paulũ putato, quemadmodum nec præscindi crimes præcepit. 2. Corin. 11. Quod contra communem est uitam, qua non inhonesta dici possũ, id quoq; est contra charitatem, hinc Christus dicit Pharisæo: Osculũ mihi non dedisti, id est, palàm me contempsisti, utcunq; uelis iustus haberi uir.

Obsecro autem uos fratres.

Apostolico more admonet, nõ manãet, ut à Pseud apostolis sibi caueant, frustra enim tam præclarã hãc scripsisset de iustitia diuina Epistolam, nisi admonuisset, ne alios audirent, qui aliam quandam contra Christum prædicaturi erant iustitiam: si nos hanc monitionem aduertissemus, nõ in tantos errores inducti fuissẽmus: sed est & hodie necessariũ, ut obser-

uetur, nā uidemus multos Pseudapostolos surgere, & contra doctrinā Christi prædicabūt, negātes Christū.

Qui dissidia & offendicula contra doctrinam, quā uos didicistis gignunt, & declinetis ab illis.

Pseudapostoli, quomodo deprehendi queant.

Non loquitur de morum dissidijs et offendiculis, sed doctrinæ, quæ omnium perniciosissima sunt, in ijs enim simul fidei, & quicumq; Christianismi sunt, funditus pereunt: in hos, qui talia in uulgus spargūt, intentos nos esse oportet, nam in specie sanctitatis & hypocrisi, mendacia & doctrinas Demomorum, instillant in simplicium animos: neq; ex uestitu, aut ulla specie externa erunt nobis æstimandi, sed ex ijs, quæ intus latent, unde & lupi rapaces dicuntur, qui uero sint, dijudicabuntur facile, nam ex sonitu has testas probabimus. Si solū Christū prædicent, audiēdi sunt, si cōstant in eo perseuerēt: si uero uel Papam, aut aliā iustitiam fingūt, aut à iustitia fidei, hominum ad quædam quasi noua abducunt eruditione & specie sanctitatis, animos, nō crede uocem esse pastoris, sed alterius qui fallere tantum uult et perdere, non saluare: quare à Christianorū consortio omnes monachi & Clerici sunt separandi, prædicāt enim et docent ea quæ sunt contra Christum, neq; moniti toties uolunt resipiscere. Resistunt fronte meretricia impudentissime, non uolētes audire bonum Dei Verbum,

bum, obturant aures suas, ne qua illabatur in eorum  
 corda: sed olim magno cum suo malo hanc cæcitate  
 agnoscent, interim tamen eorum iniurias feramus,  
 si quo modo aliquos possimus CHRISTOLU  
 crifacere: at si palàm & contemptissime blasphement  
 Euangelium, ne Aue est eis dicendum, ut Ioannes scri  
 psit, ne, si uideamus ipsorum familiares, Verbum Dei  
 suspectum reddamus. Adiecit autem & illud, quod in  
 illis non est negligendum, CHRISTO, inquit, non  
 seruiunt, sed uentri, id est, sua tantum querunt com  
 moda, non gloriam Dei. Hic nostros Missarios suis  
 depinxit coloribus, nihil enim illi Ventrosi gratis fa  
 ciunt, nam dum census negatur eis, à Missis abstinent:  
 tales non uult nos esse Paulus, sed eos, qui solam Dei  
 gloriam queramus & doceamus.

Missarij.

### Et per blandiloquentiam.

Qua scilicet mulierculas in primis decipiunt, ne  
 interim dicam de ijs, qui superiore atate Reges &  
 Principes turpissime, in omnia ceremoniarum porten  
 ta, ista suauitate ficta uerborum illexerunt, quos, ubi  
 notamus, tumultuantur & insaniunt, dicentes, uos  
 estis heretici, nam contemnitis bona opera, sic pla  
 cuit Patribus & sanctis uiris in Concilijs: nos uero  
 ut deceat CHRISTI pauperes, qui beati sumus, ista  
 nihili faciamus, nam & CHRISTO dicebatur, D<sup>ni</sup>

Blandiloquentia Pseudopostolorum.

monium habes, quibus CHRISTVS dicit, Vos iustificatis uos coram hominibus &c.

### Et assentationem.

Preculæ  
confictæ.

Nihil omisit, ut illos exprimat, instituunt enim magnificas prædicationes, aut contiones ad plebem de Libero Arburio, bonis operibus, orationibus Brigittæ, de angelorum choris, de pœnis inferorum, Rosario, aut alijs nugis, quibus egregie uulgo os sublinunt: aiunt præterea & se prædicare gratiam, tum id uarijs faciunt rationibus, quia re ipsa gratiam negant: ideo diligenter nobis sunt obseruandi, ne & hodie eorum persuasionibus magnificis, seducamur, uidemus enim innumeros ferè esse, qui innumera quoq; confingant & doceant: non cauebimus eos uero, nisi Dominus nos conseruet, nemo potest dijudicare, hoc meridiei Dæmonium, præter spiritum Dei. Caue illos, qui sanctitatem & patientiam iactitant, tamen docentes Verbo Dei contraria, hi, non alij, semper seducunt mundum, nam hic proprie Diabolus utitur sua arte, ut pereant qui audire nolunt.

### Vestra obedientia.

Scilicet, qua obeditis Euangelio.

### Gaudeo igitur sane de uobis.

Scilicet quod obediatis Euangelio, timet tamē Paulus ne seducantur per Pseudapostolos. Ideo adiecit

Sed



## Sed uolo uos sapientes.

Id est, ut bonam & sanam doctrinam amplectamini, ut possitis discernere inter bonum & malum, ut Esaias ait, quod Christiani facile possunt prestare, qui Euangelio edocti sunt, iudicant de externis & internis quibusuis, nam spiritualis homo omnia diiudicat: non simus ergo sapientes ad malum, non inquiramus ea quæ sunt mala, sed ad Dei gloriam & proximi ædificationem. Quamuis hodie uideamus in plerisque scientiam, id est, intelligentiam scripturæ, tamen carent charitate, instantur ergo, & nihil ædificent, omnia in Dei contemptum instituunt & excogitant: & Christus prudens esse uoluit, sed ex Dei Verbo, quod exemplum de astutia non ueneno propositum est, si quis sine spiritu Dei sapere uoluerit, stultus est in conspectu illius. Præterea iubet synceros esse & simplices ad malum, quod & ad Corinthios scripsit, cum dicit, Ne sitis pueri sensibus, sed malicia, nõ consentientes illis, qui talia docent contra Deum.

Sapientes simus ad bonũ.

## Deus autem pacis.

Omnia hæc emphasin habent, primum facit Deum pacis authorem, non ullum sanctum aut creaturam. Secundo dicit, non posse nos nostris uiribus Sathanam superare, nisi enim eo fortior superuenerit, manebit Sathan (ut CHRISTVS & Iob testan-

tur) in suo regno firmus: semper hoc conatur, ut no-  
bis imperet, & ad quæcunq; mala nos impellat: sed  
CHRISTVS si aderit, solus ipsum suo gladio con-  
ficere potest, quare neutiquàm est timendus creden-  
tibus, quamuis semper id agat, ut fallat, tamen nocere  
non potest, abolebitur autem totus cum suo regno in  
nobis, post mortem nostram, ubi licebit nobis dicere,  
Vbi est mors stimulus tuus?

### Gratia Domini.

Hæc est salutandi forma Apostoli, non autem alias  
formas, Bona dies, Salus, Pax huic Domui, damnat,  
Habet serè quælibet linguarum suas quasdam formu-  
las dicendi, si modo piæ sunt & Christianæ, non spe-  
ctandum est in uerba quæ diuersa sunt.

### Ego Tertius.

Nomen proprium notarij est Paulini, qui sua ma-  
nu hæc scripsit Epistolam.

### Ei autem.

Libenter plura scripsisset Paulus, sed quia ui-  
det se omnia quæ erant huius negocij tractasse, breui-  
ter eis in memoriam reuocat, Euangelij & ministerij  
sui rationem, ut declaret erga illos suum adfectum,  
interim & summam modestiam spiritus in Apostolo,  
ex hoc loco obserua: nihil sibi arrogat, non audet di-  
cere, se quicquàm esse posse sine CHRISTO, imò  
ait,

Modestia  
Apostoli.

ait, hunc omnia operari in omnibus, nullum esse mortalium, qui sibi ipsi reuelare possit, quæ Dei sunt, nisi qui ipse nouit omnia, reuelet, ei inquit, qui potens est, qui in sua tantum habet potestate omnia, sit gloria. Est uero Dei Periphrasis.

### Et præconium Iesu Christi.

Id est, quod prædicatur per me & alios in CHRISTI gloriam: non hic accusabis Paulum arrogantiae, quod dicat meum Euangelium, suum id uocat, propter ministerium & fidem, non quod ex ipso excogitatum sit,

### Iuxta reuelationem.

Id est, secundum Euangelium, quod reuelatum est his temporibus, cum antea ignoraretur, ut uides in primo Ephesiorum.

### Manifestati.

Scilicet, per prædicationem.

### Patefacti per scripturas.

Tum quando Prophetæ prædicabant, non uidebatur hæc gratia, erant adhuc tenebræ in sancto sanctorum: nunc postquam dies illuxit, & uerus pontifex, de quo omnes scripturæ testimonium perhibebant, in id ingressus est, nihil est obscurum ijs qui credunt, tametsi omnia interim maneant abscondita & mysterium incredulis.

## In obedientiam fidei.

Id est, obediant fidei omnes gentes. SOLI.  
 Scilicet, sit gloria, nam is incipit & operatur & per-  
 ficit omnia, ergo ipsi merito debetur gloria & no-  
 men, sed per CHRISTVM IESVM, per quem  
 solum omnia à Deo suscipiantur. Non offendit quen-  
 quàm, quod & supra Romanos sapientes dixit: nam  
 soli Deo tribuitur sapientia, ut proprium quiddam,  
 nobis uero, ut donum, quod non ex nobis, sed Deo  
 ipso est, qui est fons uniuersæ sapientiæ: itaq; glo-  
 riamur & nos esse sapientes, sed ex Deo, in  
 hoc saltem, ut ipsum cognoscamus, &  
 glorificemus nomen eius & imperium  
 usq; in diem Domini nostri IESV  
 CHRISTI, quo patefiet in o-  
 mnibus fidelibus Dei sapien-  
 tia, in impijs uero stul-  
 ticia & ignorantia  
 nominis eius

Amen.


F

I N I

S



Haganoæ, apud Iohannem Secerium,  
Anno M. D. XXXI.  
Mense Iulio.



OCN 78216421

LIBRARY OF THE  
FEDERAL BUREAU OF INVESTIGATION  
AND  
COMMUNICATIONS SECTION  
ANNO D. D. MCMXXI  
1921

